EI ANNOS.

*Longitudinem dierum, & annos vite, & pacem apponente  
tibi. Prov. 3. v. 2.*

**A**Ustriadum sublime genus, spes nostra JOANNES,  
Quid superest, nisi nos reddere vota DEO?  
Qui dedit, ut vivat, celsi moderator olympi,  
Nestoreos ANNOS vivere præstet EI.

IV.  
THADÆUS.

*Anagramma*

THAU ADES.

*Omnem autem, super quem videritis Thau, ne occidatis.  
Ezech. 9. v. 6.*

**P**ARCITE crudeles Parcæ, nam fronte THADÆUS  
Signum fert, nulli quod violare licet.  
Angelus occisor parcat quòque gentibus: istis  
Tu caput es THAU, tu námque Thadæus ADES.

IV.  
ANTONIUS.

*Anagramma*

SINU NOTA.

*Porta eos in sinu tuo. Numer. 11. v. 12.*

**L**ætetur populus ? nobis ANTONIUS ortus,  
Nos portare SINU nominis ista NOTA.

VI.

NARCISSUS.

*Anagramma*

SCIS URNAS.

*Urna aurea habens manna. Ad Hæbr. 9. v. 4.*

**N**ARCISSUS tu SCIS URNAS, quibus Austria fortes  
Extrahit, urnas quæis manna perenne latet.  
Rudolphus primus comitans hoc manna, coronam  
Accipit imperij! hanc hæc ferat urna tibi.

VII.

IGNATIUS.

*Anagramma*

IIT AGNUS.

*Pascetur in possessione tua in illo die agnus spatiosè. Isa. 30. v. 23.*

**I**lla dies venit Cœlis demissa Josepho  
Io lucem cum qua candidus AGNUS IIT.  
Pascere delicijs spatiosè, pascere Nate,  
Pascere possessis Mas speciose tuis.



## VIII.

## X A V E R I U S .

*Anagramma*

## A X E R I V U S .

*Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus. Psal. 64. v. II.*

**M**ultiplica sobolem, Rivos affunde Josepho,  
 Hæc fuerant populi vota precésque tui.  
 Audivit Dominus, dum R I V U S venit ab A X E  
 X A V I E R . Hic Rivus mel sine fele pluet.

## IX.

## P H I L I P P U S .

*Anagramma*

## H I P L U I S P . P .

*Dixit ad Philippum : unde ememus panes, ut manducent HI*  
 Joan. 6. v. 5.

*Panperes ejus saturabo panibus Psalm. 131. v. 15.*

*Orietur in diebus ejus Justitia, & abundantia pacis. Psal. 71. v. 7.*

**S**unt duo præ reliquis, quæ signat littera P. P.

Pax nempe, & Panis, quæ tua turba rogat.

**H**I clamant Panem, Pacem deposcimus omnes,  
 Pane Philippe P L U I S , Pace Philippe P L U I S .  
 Panerundabis miseris, & Pace P H I L I P P U S  
 Austriacæ genti. Plaudite : vivat ! Jo !

AD NOVEM CHOROS ANGELORUM,

*Constitui Custodes. Isa. 62. v. 6.*

**N**omina sacra novem numeras Leopoldi! novem sunt  
Angelici Cætus, turba ministra DEI.  
His cunas commendo tuas, his parvula membra,  
His animam, & corpus: sint tua fida cohors.





## ARBOR

FÆCUNDA FRUCTIBUS  
HONORIS & HONESTATIS,

*Eminentissimo, ac Reverendissimo*

S. Rom. Eccl. Tituli S. CÆCILIAE  
Presbytero

CARDINALI

CÆLESTINO  
SFONDRATI,

&c. &c.

*Domino, Domino Gratosissimo*

In demississimam S. PURPURÆ Gratula-  
tionem oblata

MUSIS SALISBURGENSIBUS.

---

EX TYPOGRAPHEO

JOANNIS BAPTISTÆ MAYR, Aulico-Academici Typographi  
& Bibliopolæ.

EMINENTISSIME

AC

REVERENDISSIME

S. R. Ecclesiæ

CARDINALIS,

*Domine, Domine Gratosissime.*



Alisburgenses Camænas in  
Tuæ S. Purpuræ plausum  
effusas conspicis, Eminen-  
tissime Cardinalis, illius ru-  
tilo splendore (ut Memno-

nis quondam statua Solaribus radiis <sup>(a)</sup>)  
animatas ad cantum. Communis equi-  
dem illis gratulandi titulus, Benedictini

<sup>(a)</sup> Nat.  
Com. l. 6.

c. 3.

Nominis, Ordinisque Communio: ex quo enim CÆLESTE SIDUS CÆLESTI- NI SFONDRATI ab inferiori SPHÆRA S. ordinis Benedictini in Purpuratorum Patrum Eminentissimum CÆTUM, tanquam stellatum S. Ecclesiæ CÆLUM elevatum fuit, ingens profectò fulgor & decus in universam D. Patriarchæ BENEDICTI Familiam redundavit. Est tamen alia, uti propior, ita magis propria & singularis causa gratulandi, quòd nostram, unicam Germaniæ Benedictinam Universitatem, non tam Gentilitiis TUÆ Illustrissimæ Profapiæ STELLIS, quàm LUCE copiosissima TUÆ Sapien- tiæ in publica SS. Canonum Cathedra per plures annos collustrâsti, quo tem- pore, si aliàs unquam, certè LEX LUX<sup>(b)</sup> fuit.

<sup>(b)</sup>Pro-  
verb. 6.

Potiores exultandi partes nobis ven- dicamus, quia TE veluti NOSTRUM su- spicimus; imò quia Nos tanquam Tuos à TE clementissimè respici non dubita- mus.

mus. Tui esse cæpimus, ex quo TU  
NOSTER. Debemus immortales gratias  
Helvetico Parnasso ( sic appellamus  
Principale D. Galli Cœnobium, non  
minùs sapientiâ, quàm Sanctitate Incly-  
tum ) quod ARBOREM SFONDRATAM ad  
Rheni confinia implantatam, ad nostræ  
Salsæ ripas in Juvaviensis Athenæi viri-  
darium transplantari concesserit : ubi  
dulcissimos Virtutis & Doctrinæ FRU-  
CTUS cõmuni bono profunderet. Tan-  
ta jam tunc erat hujus ARBORIS Ampli-  
tudo, ut radices & ramos à RHENO ad  
SALSAMUSQUE protenderet; haud vano  
præfagio, fore, ut in TIBERIS quoque  
littore radices ageret SEPTICOLLI S.  
Ecclesiæ PARADISO implantanda, cùm  
ad S. PURPURÆ fastigium caput attol-  
leret.

Itaque tam in subjectissimæ devo-  
tionis monumentum, quàm demississi-  
mi applausûs argumentum Musæ no-  
stræ Lucum adornant, non qualem fal-

(c) Per  
antiphra-  
sin, quia  
minimè  
lucens.

(d) Rom.  
13.

fo nomine <sup>(c)</sup> cæca Gentilitas Deorum  
suorum monstris sacrabat, à densatis  
arborum umbris opacum, ut tutiùs la-  
terent OPERA TENEBRARUM, <sup>(d)</sup> quibus  
obscura illa Numina, æquè lucifuga, ac  
noctivaga colebantur: ut per offusas  
tenebras faciliùs vitarent offensam ini-  
mici luminis, aut licentiùs furerent in  
offensam æterni Numinis. Luco nostro  
LUCEM affundunt amplissimam dupli-  
cata Virtutis & Doctrinæ SIDERA, quæ  
non tam in Gentilitio SFONDRATI  
STEMMATIS scuto, quàm Illius fastis &  
factis resplendent. Ipsa quoque ARBOR  
SFONDRATA tot Illustribus fulget radiis,  
quot a vitis nobilitata meritis, & insig-  
nita trophæis. Hinc meritò frondes,  
apicésque sacrarum sibi ARBORUM cer-  
tatim Numina in obsequium flectunt,  
aut in Coronam plectunt. Minerva  
olivæ suæ pinguedinem, pretiosam vi-  
tis suavitatem Bromius, perennem  
Lauri virorem Apollo, quercûs im-  
pe-



penetrabile robur Jupiter, innodem  
Abjetis rectitudinem Diana, Mars pal-  
mæ gloriam, & cedri immortalitatem  
Musæ consecrant.

Meminere nimirum in una *Arbore*  
*Sfondratâ collecta teneri*

Cælitum munera, *quæ divisa bea-*  
*tos Efficiunt.* Claud.

Quinam verò abessent fructus Hono-  
ris & Gratia, quando SFONDRATÆ AR-  
BORI, tot aliorum Illustrissimorum  
STEMMATUM ARBORES innexæ, suas  
frondes, & dignitatum insignia inse-  
rere !aut potius Ipsamet Arbor Sfon-  
drata in aliorum STEMMATUM ARBO-  
RES suarum frondium amplissimum vi-  
rorem explicuit, easque in suæ gloriæ  
partem admisit. Video hîc Martiales  
adoreas, & Equestris gloriæ decora à  
facundis undique ramis pendula, heroi-  
cæ Virtutis amplissima documenta,  
etiam Fabiis & Scipionibus invidenda.

Quæ tamen aspectum maximè rapiunt, sunt Ecclesiasticarum Dignitatum fructus pulcherrimi, quos Virtus & Doctrina genuerunt. Quis dubitet, SFONDRATAM ARBOREM charam & sacram esse Superis, quam Sacrationum honorum muneribus tam cumulatè exornant? Hic Abbatiales, hic Episcopales Infulæ, hic supremi in Ecclesia Senatûs Purpuræ, <sup>(e)</sup> hic denique summæ in toto orbe Dignitatis fastigium, Regalis Sacerdotii insigne, trinum summi Pontificatûs diadema, quo ARBOR SFONDRA-TA in GREGORIO XIV. quondam toto Christiano orbe refulsit. In tantos nimirum fructus erumpunt ARBORES, quæ in ARA RELIGIONIS radices figunt, omnémque suum virorem & vigorem Divino cultui, sanctæque Ecclesiæ bono consecrant.

Verùm hæc ingentia TUÆ Prospiciæ Majorumque decora, quamvis maximè TUA, quia Illustrissimo Sangu-

(e) Paulus Camillus & Franciscus Sfondrati Cardinales.

guini insita, vix tamen TUA æstimas,  
EMINENTISSIME & REVEREN-  
DISSIME CARDINALIS, quippe  
qui Sanguinis claritatem, & aurea,  
quæ tulit, dignitatum poma, altiori  
Divini Spiritûs impulsu pridem gene-  
rosè decussisti, humili Monastici statûs  
cucullo involuta; sed hoc ipso Illu-  
strior: nam ut nihil magis contemptui,  
quàm pauper & inhonora superbia; ita  
nihil in Cælitum hominûmque æstima-  
tione sublimius, quàm humilitas hono-  
rata. Quantò depressiores egit radi-  
ces Animi TUI depressio, tantò sur-  
rexit altior ad Virtutis & Doctrinæ cul-  
men, tantòque scientiarum fructibus  
opulentior: quarum fides ne fortè sub  
Poëtica Musarum acclamatione labora-  
ret, & pridem clarissima volumina toti  
orbi nota, & recenter Vaticana Oracu-  
la, collatâ S. Purpuræ dignitate testa-  
tam reddidère.

Magna prorsus est, & antiqua libro-  
rum, ARBORUMQUE cognatio: nam ad  
c arbo-

(f) Stro.  
c. 1.

arborum membranas & folia primæ vâ  
originem referunt. Tantillâ stant basi  
immortalia ingeniorum monumenta,  
& ut Clem. Alex. (f) apellat, MEDICA-  
MENTA OBLIVIONIS. TU EMINENTISSI-  
ME CARDINALIS, hanc cognationem  
TUÆ Gentilitiæ ARBORI asseris, imò in-  
feris, dum profundissimam TUAM, o-  
mnisq; generis doctrinam & eruditionē  
innumeris FOLIIS, & plurimis volumini-  
bus explicas. Non hæc folia VENTUS  
(g) Job. 13. RAPIET : (g) neque poterit illis SUMMA  
(b) Ovid. de Ponto. NOCERE DIES. (b) Acceperunt illa â TUA  
manu & ingenio ; referent vicissim  
TUO Nomini æternitatem. Florebit  
in his folijs Regalis Sacerdotij jus, de-  
cus, splendor, & S. Ecclesiæ Romanæ  
Majestas, cujus aris & focus tuum cala-  
mum dignissimè consecrâsti : jam quo-  
que Liliatus VIRGINIS SINE MACULA  
CONCEPTÆ CANDOR in TUIS foliis no-  
vâ vernat gratiâ, cùm in ejus defensio-  
nem D. Thomæ Aquinatis Angelicam  
doctrinam, hætenus â plurimis ex ad-  
verso positam, fæderâsti. Noli

Noli proin mirari, si conspicias Mi-  
 nervam in nectenda TUO Immortali  
 Nomini corona occupatam ; cui exor-  
 nandæ si alia SFONDRATARUM ARBO-  
 RUM decora, folia, frondes florésque  
 deessent, TUORUM Librorum FOLIA  
 abundè sufficerent. Sanè Idumæi Prin-  
 cipis votum erat, ut sibi LIBER in Re-  
 gale diadema aptaretur : <sup>(i)</sup> TUA, quæ <sup>(i) Job.</sup>  
 totius S. Ecclesiæ bono edidisti volu- <sup>31.</sup>  
 mina Tibi nectunt IMMARCESCIBILEM <sup>(k)</sup> <sup>(k) 1.</sup>  
 gloriæ CORONAM. Doctoralem in Au- <sup>Pet. 5.</sup>  
 reolæ Doctoralis præludium, pri-  
 dem Salisburgum imposuit : paulò  
 pòst Illustrissimam Coronam Episco-  
 palis mytræ S. Ecclesiæ Hierarcha IN-  
 NOCENTIUS XI. in Cathedrali  
 Novariensi obtulit, ut TUA in Sedem  
 Apostolicam merita coronaret. Sed  
 tunc videre erat pulchrum Helvetiæ  
 cum Italia certamen. Vocabat ista, re-  
 vocabat illa : cupiebat ista SFONDRA-  
 TAM ARBOREM patrio soli, solóque re-  
 stitui ; illa in Helvetico fundo jam à plu-

ribus lustris radicatam ægrè patiebatur  
avelli. Italia Pastorem, qui verbo &  
exemplo gregem pasceret; Helvetia  
Pastorem, qui vicinos lupos à grege  
depelleret, postulabat. Prætendit illa  
utilitatem; ista & necessitatem. Præ-  
valuit tandem necessitas utilitati; patria  
spiritualis, carnali; Helvetia Mediola-  
no, cum annuente Sum: Pontif. in an-  
tiquissima D. GALLI Abbatia & Princi-  
patu Abbatialis Infulæ coronâ dignis-  
simè es redimitus.

Verùm altiora TE manebant Super-  
rùm fata. Quod INNOCENTIUS XI.  
cæpit, INNOCENTIUS XII. per-  
fecit, quando inferiores honorum,  
decorumque Coronas in PURPUREI  
GALERI Coronam commutavit, & de-  
cantatam toto orbe Virtutem atque  
Doctrinam in principe Orbis Urbe col-  
locavit.

O felix Roma, quæ tantæ Virtutis &  
Sapientiæ Principem non jam in scriptis  
tantùm, tanquam SPECULO ET IMAGI-

NE INGENII, <sup>(l)</sup> sed in viva fronte, & S. <sup>(l) S. En-  
nod. l. 3.  
ep. 30.</sup>  
Purpurâ rutilantem conspicias, ac ex  
ipsiusmet ore doctrinam CEDRO DIG-  
NAM excipis. O superi servate à mor-  
talis vitæ teredine hanc Eminentissi-  
mam Sfondrati Arborem diutissimè  
indemnem! In quantam illa altitudinem  
confurget, in quantam amplitudinem  
ramos frondésque diffundet, quam ne  
quidem somniata Babilonio Monarchæ  
ARBOR <sup>(m)</sup> adæquet! Quantis illa Clie- <sup>(m) Dan.  
4</sup>  
tibus propitiam UMBRAM projiciet!  
Agnovit salutarem istius UMBRÆ effi-  
caciâ, Divini Numinis instinctu, su-  
premus Ecclesiæ Catholicæ Antistes;  
ideoque sub TUÆ PROTECTIO-  
NIS UMBRAM totam D. Patriarchæ  
Benedicti Religionem, quanta quan-  
ta per orbis plagas expanditur, voca-  
vit, cùm TE S. Ordinis Nostri PRO-  
TECTOREM nominavit.

Ad hanc TUÆ Eminentissimæ  
Protectionis UMBRAM nostra quoque  
Benedictino - Salisburgensis Minerva  
d ad

adspirat, & postquam votivum carmen  
ad ARBORIS SFONDRATÆ ramos, velut  
æternùm devotissimæ mentis anathe-  
ma appendit, ab UMBRA quietem ca-  
ptat; fruitura semper optatâ prosperi-  
tate, quamdiu vel ab auspicata LUCE  
geminorum SIDERUM, vel à salutarì Um-  
brâ SFONDRATÆ ARBORIS, benigno po-  
tietur influxu. Ter Opt. Max. Numen  
Pylios adaugeat annos, TE QUE  
Nostri S. Ordinis, totiúsque DEI Eccle-  
siæ splendidissimum Lumen diutissimè  
servet inocciduum. Ita vovet, die  
Anno 1696.

**Eminentia Tuæ**

*Devotissima*

Univerſitas Salisburgensis.





**S**YLVARUM patulos longævâ stirpe  
recessus,  
Atque triumphalem Virgulta imitan-  
tia Scenam

Ingredior: sed non qualem per mille viarum  
Anfractus, dubium struxisti Dædale Saltum;  
Aut latebras Dodona tuas, quercúsque sonantes,  
Et dare fatidicis solitas oracula ramis.

Nil Nemus Hesperidum, nemoris nihil aurea  
quidquam

Dona moror: nec ubi primæ certamina formæ  
Absolvisse Paris Phrygiâ memoratur in Idâ  
Arbiter imprudens: nec ubi prostrata jacere  
Fingitur Herculeis Moles Nemeæa lacertis,  
Cæca subire lubet mendacis Limina Luci.

Scilicet his nemorum quod spectem lumen  
in umbris?

Vana Poëtarum procul hinc ludibria. Nullos  
Vera petit Virtus, genuinâque Gloria fucos,  
Vix ubi non Laudum cumulo succumberet  
Atlas,

Et quemvis non ficta onerant miracula versum.

Lustra peto, sed enim lustra Illustrissima:  
*Sylvam*

Ingredior, sed quæ Clariis antiquior antris,

A

Quæ-

Quæque suis est Alcinoi fœcundior hortis.  
Quid verò dubiis necquidquam ambagibus, ultrò  
Constringo dudū cupidam prorumpere venam?

Arbor cō-  
spicua in In-  
signibus E-  
minentiffi-  
mi Cardi-  
nalis.

Eloquor. Illa ARBOR, placidè quæ surgit *Avito*  
In SFONDRATORUM semper viridissima Scuto  
Instar erit *Sylvæ*, quam lustraturus, anhelò  
Aoniis equidem, sed cum formidine, pennis,  
Ne mihi plus tribuens, propero temerarius ausu,  
Dum Sacra Virtutis rimor penetralia, victus  
Longa operum serie, non amplius inde re-  
gressum

Inveniam. Quid ago? Vos, ô DUO SIDERA clarè  
In *Gentilitio* Heroum radiantia *Cælo*!

Vos aperite viam, radiisque ostendite vestris  
Non tentata sequi; siccam vos imbre rigate  
Castalio, & solito perfundite Numine Musam.

Tu verò, quem *Romano* veneramur in *ostro*,  
CÆLESTINE! dabis veniam, non omnia laudum  
Agmina (quis numerare velit?) sed paucula  
tantum,

Et velut illarum libanti Semina Vati.  
Celsa petit SFONDRATA ARBOR: contingere culmē  
Tam sublime meus non doctus Pegasus alis,  
Circum radices humili modò carmine repet.

12. Decē-  
bris creatus  
Eminentiff.  
Cardinalis.

Altera ab undecimâ niveum rigidumque  
Decembrem

Lux ingressa, brevì rursus sua lumina Mundo  
Eripiens, nigras gelidi per cornua Capri  
Prolixasque nimis noctes fundebat, & unà,  
Ut solet, horrentes Scythicis Aquilonibus auras.

Pen-

Pendebat passim nemorosæ stiria ramis:  
Urebant montana nives, stringebat & undas  
Pigro bruma gelu, & flavis seges alma capillis,  
Et gemuit viduata suo Dea Chloris amictu.

Cùm subitò, septem sacris quæ collibus alta  
Tollitur, & cælo cognatas furrigit arces  
*Romulidum Genitrix*, molles agitare fusurros  
Cæpit, & insolitum spirare Favonius æstum,  
Quem comitans Zephyrus madidas aspergine  
pennas

Romani  
Gratiarum  
Favonii  
abigunt  
Hyemem.

Ambrosiâ quatiens, læto prata omnia risu  
Aspicit, & simul ad lætum prata omnia risum  
Aspiciendo movet. Mora nulla: & gramine  
campi

Pubescunt, nudisque redit sua gloria sylvis.  
Germinat omne Solû: nigram vaccinia pompam  
Purpureamq; rosæ, referunt violæq; rubentem.  
Aliger haud adè pictas Junonius alas  
Explicat; haud adè vernanti veste figuram  
Multiplicem induitur Soboles Thaumantis, &  
umbras

Diversas radiat curvato luminis arcu.  
Rara adè miratur Hyems spectacula rerum,  
Et subitum picti Veris sine vere theatrum;  
Ac mox impatiens flantis per rura Favoni  
Occultat glaciale caput, niveosque capillos  
Concutiens, dat terga fugæ, reprimítque do-  
lorem.

Nix Hyemem sequitur; fugit illætabile frigus,  
Et non mansuræ Zephyro regnante pruinae.

Sed tamen, ecce! quid hoc? Tacito nemus  
omne movetur

Numine; quæq; priùs firmo fundamine stirpes  
Constiterant, jam ter concusso vertice, visæ  
Testari venientem animam; jam ponere gressus  
Incipiunt, clivúmque petunt: nulla emanet arbor.  
Collem hunc posthabito conscendit Populus  
Hæmo,

Conveni-  
unt varia  
arbores.

E Pindóque venit venturi præscia Laurus,  
Cui se se sociant, victorum præmia, Palmæ;  
Huc Buxus frondosa, & amata vitibus Ulmi,  
Vos etiam huc pingues Tiliæ properatis, & unâ  
Vobiscum trahitis sublimi è culmine Fagum.  
Huc Abies hirsuta comas, huc Fraxinus hastis  
Et Cornus jaculis, Hymenæisque ignibus apta  
Contendit Corylus: non ramis Esculus altis,  
Non Ficus, non Myrtus abest, non glandibus Ilex  
Prægnans, nec qui formam hominis Cybelejus  
Atys

Exutus, vegetos migravit in arboris artus.  
Sed quis Spiritus intus agit? quo numine plenum  
Sic nemus exultat? Stygiisne reversus ab undis  
Orpheus, ut quondã, tacti modulamine plectri  
Arboribus rursus vitales contulit auras?  
At redit in mentem; scio, quid Sylvestria poscant  
Numina: nimirum votis communibus unum  
Electura adsunt, reliquus cui obtemperet omnis  
Arboreus nemorum populus, Regémque salutet.  
Et jam concurrunt: positam mittuntur in  
urnam

Conscripta in foliis dubio suffragia fato:

Hæc

Hæc illam , hæc aliam commendant munera  
stirpem.

Una tribus fruticum pinques miratur olivæ Comitia  
Arborum.  
Divitias, Superis æquè ac mortalibus aptas  
Ad multos usus : & quantum horrentia Martis  
Arma virósq; fugit, tantò quoq; promptior illa  
In florenti Oleâ veneratur symbola Pacis;  
Unámq; hanc putat augusto diademate dignam.  
Non placet hæc Hederæ, non Pino ; displicet  
Alno,

Et reliquæ, quæ sæpe sitit, sententia turbæ:  
Hæc potiùs Vitem, plenam gravidámq; racemis  
Ad fasces Vitem, votum geminando reposcit,  
Ut, quæ Divinos animos dulcedine fructûs  
Lætificet (quid nobilius?) gravioréque pressas  
Liberet humanas curarum pondere mentes,  
Hæc eadem Regale ferat læto omine Sceptrum.  
Et jam, vivat, jo! Vitis, regat, imperet, altâ  
Clamant voce , Mimallonidum de more fu-  
rentûm.

Sed mox composito strepitu, jussisq; tacere  
Arboribus madidis, dulci plenissima succo  
Ad folium â multis magno fervore petita  
Ficus adest. Sed enim rursus pars altera Rha-  
mnum,

Undique spinarum munitam fortiter armis  
Atque vel hinc censet titulis Regalibus aptam.  
His viror æternus Lauri, illis clara triumphis  
Palma placet. Scisso studia in contraria vulgo  
Arboreo, pendent incertis omnia votis.

B

Atque

Atque istud dum fervet opus, dūnque  
    aemula quævis

Hypoty-  
pofis Arbo-  
ris Sfon-  
draticæ.

Imperii fasces & cum diademate Sceptrum  
Aut cupit, aut sperat, NOVA adest (mirabile dictu)  
Tale nihil quidquā reliquis meditantibus, ARBOR,  
*Arbor* in immensum latas, sua brachia, frondes  
Diffundens; celsum feriēnsq; cacumine cælum:  
Fixa stat illa solo, recto, quasi turris, in altum  
Stipite, subtilis cortex amplectitur artus;  
Quali primus amor Phæbi, castissima Daphne  
Obriguit, cūm Phæbe! tuos fugitiva lacertos  
Indueret Laurum, decus immortale, recentem.  
Inde micat viridi foliorum gratia nictu,  
Et quotquot folia, ardentes tot luce smaragdi  
Accendunt splendore diem, solēmque laceffunt.  
Sed vertex quantum super æthera surgit, ad  
    imam

Tantō plus tendit radix validissima terram:  
Ut, quamvis simul incumbant Eurūque No-  
    tūque,

Omnēsque Æolii disrupto carcere Fratres  
Aut ornū, aut solidam forti cum robore cedrum,  
Aut quasque evellant nullo discrimine fibras,  
Ista tamen nil mota suis radicibus ARBOR  
Hæreat, & nihil aufuras sine viribus iras  
Despiciat secura sui. Jam verò quis omnes  
Ex unâ hâc referat pendentes arbore fructus?  
Promptiūs æstivam, cūm 'crescit plurima,  
    messem,  
Promptiūs imensus quot volvat littore conchas  
Oceanus; vel quot noctu vaga Luna sereno

I.  
*Decor omnis in Una.*



Accendat, numeris complectar, Sidera Cælo.  
Quidquid Pomiferi saltus, & vere perenni  
Arva beata ferunt, vel queis Phæacia gaudet,  
Vel quos obstupuit tellus Memphitica structos.  
Arte, manúque Semiramidis super aëra Lucos;  
Quidquid thurifluis Panchaja dives arenis  
Halat; odoriferum quidquid Nisæus Hydaspes  
Fundit; ab extremis quidquid grandæva Sabæis  
Portat avis reparans actæ nova sæcula vitæ,  
In stirpe hac crescunt fausto summa omnia partu.

Porro tam augustam nova in arbore *Maje-*  
*statem*

Cum reliqui, necdum finitâ lite, viderent  
*Arborei proceres*, subito quasi fulmine tacti  
Attoniti steterunt, dein longo tempore muti  
(Admiratio concessum linguæ abstulit usum)  
Alter in alterius stupefactus imagine rerum  
Obtutu hærebant; donec rarâ indole *Stirpis*  
Ereptus rediit prior in præcordia sensus.  
Tum verò (pulchrum visu) nemo omne pro-  
fundè

In terram, capitum suprema cacumina curvans  
Non tantum veluti *Regem*, sed *Numinis* instar  
ARBOREM adorabat visam, tacitumque recessit.  
Haud secus, ac veluti stellarum turba minorum  
Postquam clara diu, per amica silentia noctis  
Cum pompâ æthereo pandit sua lumina campo,  
Mox ubi Sol tremulo surgit redivivus ab Alto  
Purpureis invehit equis, fugit illa, nec audet  
Præfens ferre jubar: strictum citus occulitensem



Orion, caudam abscondit Leo, brachia curvus  
Cancer, & Erigone spicas, & Aquarius urnam;  
Regem cuncta suum venerantia Sidera Solem,  
Sole nitente timent tenues producere tædas.  
Aut veluti grex in lætis petulantior agris,  
Vel fera per sylvas, jam pinguia gramina tondent,  
Jam certare juvat, vario jam ludere cursu,  
Liberè & absq; metu. Sed quando fortè relicto,  
Progenies Getula, Leo spectabilis antro  
Advenit, aspectu torvus, fulvâsque minaci  
Concutiens in fronte jubas, ex faucibus imis  
Edit terribilem, Sylvâ resonante, boatum:  
Tunc pecus omne tacet: timidus sua cornua  
cervus

Submittit; notas petit ursus & ursa cavernas;  
Tunc nec aper vibrare suos, duo fulmina, dentes,  
Nec taurus mugire solet: non subdola gannit  
Vulpes, non aries blaterat, non hinnulus hinnit:  
Non pecorum custos audax latrare, remissam  
Sed caudâ per prata trahens fugit ipse Molossus,  
Talis erat reliquas inter reverentia stirpes;  
Cùm se se in medium ferret memorabilis ARBOR.

Vos autem jam Sacra precor, Viridaria Di-  
vûm!

Pandite, tam miranda *Arbor* quo nomine dici  
Gaudeat, unde trahat Divinam ab origine stir-  
pem?

Dicite, quod soleat latitare hac *Arbore* Numen,  
Nam certum est, aliquod latitare hac *Arbore*  
Numen.

Et

Et tantum vos scire illud, vos sola potestis  
Dicere. Nimirum non est mortale, nec ortum  
Cuidam Triptolemo debet tam *nobile Stemma*,  
Tam Cæleste Decus; sed opus Cælique Deo-  
rumque  
Est, in quod magno studio sua munera quisque  
Contulit, & pleno transfusa est copia cornu.

Arbor  
Sfondratica  
videtur in  
cælis orta.

Ecce autem! video (vel me mea lumina  
fallunt?

Non fallunt) video pendere ex *Arbore* ductas  
Diversas hinc inde notas, arcanaque signa.

Magna latent his, non dubito, mysteria verbis.  
Quin ago; quin hæc signa lego: tu Musa legentē  
Dirige. Jam incipio: Dñi faustè hæc omina  
vertant.

CÆLESTI (splendore nimis nota quælibet ardet,  
Perstringitque percussum mea lumina lumen)  
Sed pergo: CÆLESTINUS. Quæ gratia nostram  
Insolitusque favor Cæli dulcedine venam  
Perfundit? Nova res! hoc solum Nomine lecto,  
En! citharæ se sponte movent, & voce sonora  
Nomen idem repetunt: comoto corde calores  
Ipse novos adverto. Quid hoc? sed perlego  
totum.

CÆLESTINUS. Jo! superis Venerabile Nomen!  
SFONDRATUS. Ter jo! satis est: capio omnia tanta,  
Et jamjam facilem penetrant oracula mentem.  
Scilicet illustri te CÆLESTINE! sub umbra  
*Arboris* (umbra juvat, nimios ubi ferre recusat  
Virtutis radios, oculorum infirmior usus)

C

Et

Et magis atque magis per plurima sæcula semper  
Florentem in viridi veneramur schemate *Stirpem.*

Et verò quantùm Padus Euphratésq; recedunt,  
Gadibus Eridanus distat, Nilúsque remotas  
A Tanai propellit aquas septemplice portu,  
Tantùm sola omnes ARBOR SFONDRATICA vincit  
Majestate Cedros, Ficus dulcedine, Famâ  
Victrices Lauros, æternâ fronde Cupressos,  
Lætâ umbrâ Platanos, & celsas culmine Palmas.  
Sit per Chaonios fundens sua murmura lucos  
Quercus amica Jovi: semper citharâmq; , co-  
mâmque

Virineâque suas pharetras præcingere Lauro  
Phæbus amet: cunctas inter gratissima stirpes  
Populus Alcidæ placeat; sed Oliva Minervæ;  
Pinum depereat Cybele, Cythereâque myrtum:  
Quæcunque in variis commendant Numina  
plantis,

Amplis una suis complectitur omnia ramis  
SFONDRATORUM ARBOR, complexâque servat &  
auget.

At nova quæ rursus facies emergit, & antè  
Occupat attonitam majori pondere Musam?  
Quanta hæc fertilitas! *Arbor* non una, sed ingens  
Nascitur inde *nemus* fæcundo semine; quòdque  
Antè fuit ramus, nunc ipsum stipite fixo  
Diffluit in ramos; nunc ipsum vertice tangit  
Sidera, in arboream migrans pulchro ordine  
formam.

Est & mirum illud: quavis ex arbore scutum

Pen-

Arbor  
Sfondrati-  
ca omnes  
vincit ar-  
bores.

Ex una Ar-  
bore Sfon-  
dratica am-  
pla nascitur  
sylva.

Pendet. Materies scuti vel gemma, vel aurum est,  
Vel gemmis, auróque simul pretiosior; olim  
Fors ducta à stellis, & adhuc incognita terris :  
Materiã tamen ars vincit. Nil Lemnius unquam  
Quidquam Trojano fabricavit tale parenti ;  
Talia nec vidit Numa lapsa ancilia cælo.  
Prætereà non vulgaris præconia Famæ,  
Et varios decorum titulos, clarósque trophæis  
Singula scuta ferunt. Generosè hîc Cassis aperta  
Fronte (æterna tegi Majorum Gloria nescit)  
Horret, & undantes ludunt in Casside cristæ :  
Illic sexcentis facilè, aut quoque pluribus, unus  
Involvit clypeus bene magna Volumina fertis,  
Qualia Phæbus amat : sed qualia donat Olympus  
Munera, sacrae alibi Mitrae, Lituique coruscant:  
Inque aliis alia effulgent insignia scutis.

Diverſa  
Honorum  
ſymbola in  
arboribus  
conſpicua.

Ast ego quid primùm venerer, quid postea  
mirer,

Nescio : turbant incertos miracula sensus,  
Et quò plura oculis perlustro, plura videnda  
Occurunt, auctã dubiæ caligine mentis.  
Sic nempe est : Cæli Soboles pulcherrima, Virtus  
Mortales fugit aspectus, vulgòque recusat,  
Et meritæ vulgi famæ præsentius ire  
Arcano contenta suo, contentaque teste  
Cælo, & qui semper patulo videt omnia cælo.  
Quæ video, minùs hæc video : præstringit inertes  
Majestas oculos ; est major copia rerum  
Nescia constringi metro : sunt omnia magno  
Plena DEO, obtusos hominum fugientia visus.

Apollo cū  
Musis inter  
Arbores  
Sfondrati-  
cas.

Illic autem, clivus ubi se lætior effert,  
Procumbens quis ibi patulæ sub tegmine Lauri  
Pertentat resonas dulci modulamine chordas?  
Colla illi vario ludit per eburnea fluctu  
Aurea cæsaries, quam non sine lege fluentem  
Laurea constringit pretioso in vertice morfu:  
Desuper è ramo neglectim pendulus hæret  
Arcus cum pharetra, levibus quæ plena sagittis,  
Sed quoque quæ nitidis scintillat plena lapillis.  
Nympharum cumulata cohors latus undique  
circum

Stipat, Apollineis ad plausum quælibet armis  
Instructa: hæc citharæ vocales tangere nervos;  
Altera mellito crispare per aëra cantu  
Fufos ore sonos: multæ levi arundine, multæ  
Magna ex arte, tubis animant majoribus auras;  
Illa autem longo conatu brachia tollens,  
Præcipitante ferit resonantia tympana pulsu,  
Et rauco, at placido replet omnem murmure  
sylvam.

Quot quot cerno Deas (ter ternas cerno) canoræ  
Omnes mirifico testantur gaudia plausu;  
Et, quantum capio, Numen, quodcunque sit  
illud,

CÆLESTI de FONTE RATUM super æthera tollunt.  
Ter voces echo recipit, ter garrula reddit  
Mima soni exceptas triplici cum fænore voces.

Quid verò multis? agnosco Deumque  
Deasque:

Phæbus hic est, Præses Parnassi & gloria, docto

Ca-

Castalidum comitante Choro : bona Numina  
Vatum!

Hæc mihi tam longum rapient è mente tumul-  
tum,

Hæc mihi *Scutorum* pandent oracula : nempe  
Dicere qui novit de rebus vera futuris,  
Dicere de rebus quidni præsentibus idem  
Phæbus vera sciet. quin alloquor ergo. tacete.  
Phæbe Pater! quid? non audit? Nimis occupat  
aures

Plausibus immodicis Musarum turba Patroni  
In laudes effusa sui. Proîn elevo vocem.  
Phæbe! heus Phæbe! audit; jámque huc sua  
lumina flectit;

Subridet, propiórque meam Deus ipse pre-  
hendens

Dextram, non, inquit, tacito quæ pectore volvis  
Me tua vota latent : ex vultu colligo mentem.  
Sed nimis alta petis : quæ vix ego dicere, nun-  
quam

Tu poteris penetrare sub his latitantia *Scutis*  
Dona Deûm. Sed enim magno quid majus  
Olympo?

Parva tamen trahimus magnum in compendia  
cælum.

Maxima sic minimis, sic dicam plurima paucis.  
Hæc placidè Phæbus : clypeúmque, ubi ful-  
men apertæ

Hærebat galeæ, aspiciens, & pronus adorans,  
Aonio, quanto vix unquam, percitus æstu  
Ulteriùs pergît roseo sic ore profari.

Apollo  
exponit scu-  
ta & sym-  
bola ex Ar-  
boribus  
pendula.

D

Glo-

Illustriffi-  
ma Sfondra-  
torum Pro-  
sapia.

Gloria SFONDRATUM geminos diffusa per  
orbem,

Majorumque Decus; ductis per & atria ceris  
(Heroum ceris) clarum referentibus ortum,  
Nobilitas Generis, patulæ hâc sub Cassidis  
umbrâ

Tecta latet. Quid? tecta latet? mea lumina  
quidquid

Cernunt (quid verò non cernunt lumina Phæ-  
bi?)

Sive ubi Neptuni liquidis caput erigo regnis  
Efflans ore diem; vel ubi me condo profundis  
Hesperiiis tenebris, nigrâ sub nocte sepultus;

Per totum  
orbem de-  
cantata.

Aut quâ frigentis regione Lycaonis Ursæ  
Sidereus stridet currus; vel versus ad Austrum  
Qua parte emitto nullas altissimus umbras,  
Nulla meos radios tam averfos natio sentit,  
Gloria SFONDRATUM quam non penetraverit,  
orbem

Pro spatio fortita suo (sed corrigo) Cælum  
Pro spatio fortita suo: super astra volavit  
Illa, & per CÆLESTINUM Cælestibus oris  
Invecta est magnæ Famæ famulantibus alis.

Cedite, Grajugenæ veteres! sunt somnia,  
magnum

Quem jactatis Palladium (si credere fas est)  
Instar montis equum, Procerésque in ventre  
jacentes

Roboreæ Matris. Quisquis vel triplice ferro  
Pectora munitus, per mille pericula sævos

Irrum-

*Post fata superstes.*





Irrumpens Colchos, vigilem sopiverit anguem,  
Vellúsque abstulerit, spoliúm crudele petenti,  
Damnosúmque sibi. Profugus quicumque pa-  
ternis

Oris, & multúm terrâ jactatus & alto  
Intulerit Latiae Teucrorum Numina Genti,  
Cedite : non canitur mentito fabula plausu.  
Sed neque nil motus flammis crepitantibus  
ustam,

Admirante foco, jactet modò Scævola dextram :  
Nec Cocles sua facta velit celebrare, volantem  
Telorum excipiens sylvam, dum ponte reciso  
Arceret Porfenna tuos à mænibus enses :  
Et fatale sibi, patriæque voraginis antrum  
Curtius, & taceat Cato mersum in pectore  
ferrum.

Scilicet Heroëm stirps una è millibus unum  
Ostentare valet meritum, quem Fama per orbem  
Non inhonora ferat. SFONDRATA EX ARBORE  
quotquot  
Nascuntur Frondes, pariter tot Mundus adorat  
Augurio semper certo Miracula mundi.

Non obscura cano. Clausis procedite  
tumbis,

Augusti Manes! cataphractaque Funera! *Stirpis*  
Gloria *Sfondratæ*! Tu VALERIANE! secundis  
Cui Mars auspiciis belli super arma virósque  
Imperium Generale dedit : tu MAXIME PAULE!  
Magnorum Regum Protector & alter Iberi,  
Vel post fata etiam, Sol fulgentissime Sceptri,

Quem , summum Regni clavum moderante  
*Philippo*

(Ille secundus erat) venerata Hispania, Consum  
Confilia admovit totius ad intima Regni.

Et Vos, Divinum qui nomen & omen & unã  
Virtutem, & claram traxistis ab *Hercule* Famam  
HERCULEI PROCERES! Tu, inquam, quem sæpe  
loquentem

Ostupuit bifrons *Romani Fulminis Ales!*

Plurãq; in Heroum celeberrima Nomina fastis,  
Prodite. HUC FRANCISCE adsis ; huc PAULE

CAMILLE,  
CAROLE ! quos omnes (superi! quæ Numina?)  
tanquam

Semideos aliquos, non hoc ex orbe, sed alto  
E Cælo missos, *Sedes Romana* decoros  
Ostro & Purpureis jussit radiare Galeris;  
Aut certè fulgere Sacris per tempora mitris.

Quin etiam *Decimus Quartus* :

Quis Deus obledit fauces, ægréque meantem  
Tentat in attonitis vocem præcludere venis?

Adverto : nostras *Arbor Sfondratica* vires  
Excedit : non, si vel cunctæ in carmine rupes  
Castalidum fremerent ; non, si vel pectus in  
unum

Pegaseas Helicon omnes effunderet undas,  
Sufficiam, fat condigno decurrere plectro  
Tam Cæleste istud memorato è *Germine Ger-*  
*men.*

Te cano, vel potiùs trepidans, horroréque sacro  
Perculfus taceo, qui vix mortalia tangens,

*Ter*

*Ter felici* GREGORIUS BIS SEPTIMUS *ortu*

Supra hominum fortes evectus, Numine Solo  
Inferior, Sceptrumque Dei cum munere gestans,  
Et meritis orbem, cumulasti & laudibus astra.

Atq; hic est meritus supremi FRUCTUS HONORIS,  
FRUCTUS HONESTATIS, pars imò è fructibus una,  
Quæis SFONDRATORUM Stirps Illustrissima gaudet.  
Dicere multa nimis videor? sed juro per istam,  
Quâ mihi nobilius nihil est, in vertice Laurum,  
Perque fides citharæ, per bina cacumina Pindi  
Testor, me nullas specioso quærere fuco  
Fictas laudum umbras, aut Famæ ambire fa-  
vorem.

Quod cano, idem resonant veris suffragia libris  
Plena; hoc æternæ referunt in cortice cedri  
Heroum tituli; sculptum spectatur in auro,  
Expressum Pariò Phrygióq; in marmore, rasum  
In tabulis; memori manet hoc in mente repo-  
situm,

Quot quot venturus numerabit sæcula Mundus.

Imò velut vario quàm plurima flumina  
tractu

Excurrunt hinc inde, suos sed denique fontes  
In fluvium effundunt unum, coëunte meatu:  
Id, quod sat probat Illicis rex Ister in undis,  
Qui prius, ac bis terno Euxini flumine ponti  
Influat in gremium, grandævum crinibus  
Ænum,  
Et Dravum, Savumque udâ gravitate fluentes,  
(Sexcentos taceo) bibit amplis faucibus amnes.

E

Haud

Gregor.  
XIV. sum :  
Pontif.  
Eminentiss.  
Cardinalis  
Propatru<sup>9</sup>.

Haud aliter , quidquid decorum , vel quidquid  
habere

Nobile Virtutis nomen , famámque meretur,  
Divisúmque fluit, sed demum flumen in unum  
Junctis fluminibus, sic omnia summa, capaci  
*Nobilitas Sfondrata* sinu complectitur uno.

At verò CÆLESTINUS meus (ore sereno  
Ulteriùs pergit Phæbus, vultúque manúque  
Designans clypeum , quo docta volumina  
magno

Circumfusa videbantur cumulo) meus, inquit,  
CÆLESTINUS , adhuc primævæ flosculus herbæ  
Jam didicit , non *Majorum* modò *Sanguine*  
niti,

Eminen-  
tiff. Cardin.  
à prima æ-  
tate strenuè  
incumbit  
ad literas.

Aut *abavùm* titulis ; non ostentare *paternis*  
Duntaxat famam alterius, per limina ceris.  
Verum est : Sola illum Generis potuisset origo  
Et Patrius decor æternis transmittere sæclis ;  
Sed melior strinxit juvenilia corda Prometheûs,  
Quàm qui splendorem cunis natalibus omnem  
Debeat, & tantùm tritavi monumenta Gigantis,  
Non erecta suis videat monumenta trophæis.  
Atque ideo teneros prævertens ordine cursus,  
Ipse repleturus pulchram virtute juventam  
Mox facili ingenio mea , Musarúmque secutus  
Castra , Boni Superi ! quàm nobile mentis  
acumen

Emicuit, quàm grande jubar, certúmque sagacis  
Indolis indicium? Necdum tria propulit ætas  
Lustra, & Castaliis se totum proluit undis

Fun-

111.  
*Bene radicata est.*



Funditus exhausto, quidquid vel Rostra Qui-  
ritum

Fundere, vel poterant concepto numine vates  
Cantare, Aoniam sylvis mirantibus artem:  
Ut meritò è manibus facundæ præmia linguæ  
ROMA sibi, & palmam dubitârit Mantua tolli.  
In Libris amor omnis erat, majorque voluptas  
Nulla fuit, quàm se doctis immergere scriptis,  
Et quæ pervigilem saperent fuxisse Minervam.  
Sic proles genuina aquilæ, quùm crescere sensit  
Alarum leve remigium, jam vere vocante  
E molli nido caput egerit, explicat alas,  
Et fugiens semper maternæ debitor esse  
Curæ, ardet magnis ausis comes ire paternis.  
Talis CÆLESTINUS erat, tam pulchra futuræ  
(O bona signa!) dedit Juvenis primordia vitæ,  
Vix etiam speranda viris. Quis dicere possit,  
Quos fructus tulerit Virtutis adultior ætas?

Ille Cleantheo Sophiae perfusus olivo,  
Pellæo meliùs, dubios evolvere nodos,  
Tectas Naturæ causas, miracula, motus,  
Cætera, Cimmeriis abscondita prorsus in um-  
bris

Philoso-  
phus.

Ingenii penetrare acie bene novit, & unde  
Irato Encelado, pavidis cum mænibus urbes  
Concussæ, emoto telluris cardine nutent.  
Ille sacræ leges Themidis, Themidisque pro-  
fanæ,

Jurisperi-  
tus.

Junctaque concordii geminarum fœdera nexu  
Imò corde hausit: rigidi quod Virga Catonis,

Fabricii censura gravis, quod juris & æqui  
Agros Aufonio proscindens dente Seranus  
Edocuit, bibit: ipse potens revocare volentem  
Astræam, aut supplere vices & munera Divæ.  
Ille, quid arcanis meditetur Olympia fatis  
Sacra Trias, Trinúmque uno sub Numine  
Numen;

Theolo-  
gus.

Quis lapsum reparare genus, Mundi que ruinam,  
Et mérita immenso signari nomina Libro  
Jusserit, ac longis scribi damnata lituris  
Alterá, siderei non aspectura diei  
Lumen, & æternis intermoritura tenebris,  
Omnia tanta (uno cunctas in pectore Musas)  
Omnia tanta, virens primo SFONDRATUS in ævo  
Collegit, quæ vix attingit torva senectus,  
Sedula cùm libris multos impalluit annos.

Pro lacte  
creditur  
fontes Ca-  
stalius hau-  
sisse.

Creditur, & claro probat experientia factó,  
Non solitam Lucinæ operam sensisse, sed esse  
Palladis exceptum gremio ter amabile pignus;  
Pieridúmque Choro commissum, lacte remoto  
Non nisi Castalios infantem hausisse liquores;  
Ac citò splendentes, puerilia munera, bullas  
Effugiente manu, solius imagine visi,  
Et risisse hilarem tendentis ad oscula libri.

Interea veluti sibi credita femina fructu  
Multiplici tellus reddit, ridente colono:  
Aut Sol ut radios clementi in sidera fluxu  
Transfundit, sed enim hæc iterum concessa re-  
mittunt

Lumina, & acceptis animant influxibus orbem,

Sic

Sic CÆLESTINUS jam plenus Apolline, dignus  
Publicus audiri Doctor, quo funderet antè  
Doctrinæ bibitos (quanto cum fænore?) fontes,  
*Salzburgense* petit, memet comitante, *Lyceum*.

Ingemuère quidem, & magnum movère  
tumultum

*Helvetij Montes*, elatâ voce querentes

Tam charum sibi Theaurum sine jure negari,

Quocum vixissent lætos sine turbine Soles,

Quo sine victuri mæstas sine fidere noctes.

Sed quantus dolor ille fuit, majora *Juvavus*

Gaudia concepit, eum faustæ buccina Famæ

Insonuit *Salsô* SFONDRATUM accedere *Pindo*.

Et verò ut primùm dictas pervenit ad oras,

Musarum quis plausus erat, quæ cura videndi

Hospitis optati? Vitreis mox dicitur undis

Hirsutas tendisse aures, similisque stupenti

*Salza* stetit, nec ulterius sua brachia ripis

Deducens, patulos vultu venientis in unò

SFONDRATI fixisse oculos; velut hæserat olim,

Odrysiæ quando stupuit miracula chordæ.

Et Dryadum frondosa cohors, cùm molliter

auras

Percuteret Zephyrus, vocésque emitteret illas:

CÆLESTINUS *adest*, mox læto ad sidera vultu

Sublatas plausère manus, & summa petentes

Culmina, visuræ procul è monte, unde veniret,

Ac *Salzburgenses* peteret novus incola terras,

Ingentem unanimes dederunt, viso hospite,

plautum;

F

Sæ-

Venit Sa-  
lisburgum.

Plausus  
Musarum  
Salisbur-  
gensium  
adventante  
Eminentiss.  
Cardinale.



Sæpiùs unde echo motis immugiit antris :  
Adfremuit Pindus ; totus bis, térque quaterque  
Subfiliit, Senio nihil impediante, *Juvavus.*

Nec mora : conveniunt Musæ velociter, omnes  
Omnia, Castalio tandem quæcunque laterent  
Effusuræ in SFONDRATUM sua munera cornu :

Quo factum, ut *triplices*, Doctorem Insignia,  
*Lauri*

In CÆLESTINI florent vertice, magno  
Sed remanente tamen dubio, num gloria major  
*Doctori* à doctis fuerit collata Camænis,

An *Doctorem* doctas ornet magis ipse Camænas.

Præsertim verò reliquis magis inclyta Nym-  
phis

Promeruit Famam *Sacri Prudentia Juris*,  
Cujus non modò felici penetralia cursu  
Rimari placuit, meritamque hinc carpere Lau-  
rum ;

Docet Jus  
Canonicū.

Ipsè sed ingenuos Parnassi nactus alumnos  
Justitiæ monstrare vias, exponere leges,  
Funderéque Astrææ cælestia dogmata jussus,  
Quæ Canonum documenta dedit? Documen-  
ta decora,

Quàm numerosa Themis vel in uno corde la-  
boret.

Quotquot verba, tot est Divino visus ab ore  
Fudisse æternis memoranda oracula cedris.

Lex, quæ tam dubio pateretur vincula sensu,  
Nulla fuit, non longæ adèd sub judice lites,  
Nullus tam densâ implicitus caligine casus :

Quas

Quas tenebras non discussit, quæ vincula, lites,  
Mirâ SFONDRATUS non dexteritate resolvit,  
Visus doctrinâ Musas animare, novósque  
Secum Soles *Salzburgensi* inducere *Pindo*.

Atque ided passim studiis excita juvenus  
Augustum, Themidis sacrata palatia, circum  
Tanto discentum numero cumulavit, ut amplo  
Quamvis, non tamen immensam capiente ca-  
tervam

Ingens  
studioforú  
confluxus.

Limine Palladio, per apertas sæpe fenestras,  
Affusa aut foribus deberet plurima turba,  
Calcibus insistens, SFONDRATUM audire docen-  
tem.

Scilicet Autumni sic primo frigore Progne  
Cum gruibus fugiens glaciales Strymonis un-  
das,

Turmatim & denso tepidum petit agmine Ni-  
lum :

Sic ubi verna suum pandit Dea Flora theatrum,  
Et bellè picti jam rident floribus horti,  
Convolut & streperis glomerat se plurima  
pennis

Cecropii studiosa favi plebecula; flores  
Occupat, unde suas distendat nectare cellas,  
Fragrantésque legat succos, dulcémque me-  
dullam.

Et talis concursus erat; cùm publica Juris  
Spargeret in dociles SFONDRATUS femina mentes.

Sed velut umbra sequi corpus, sic Gloria  
semper

(Nobilis umbra) solet vigili comes ire Labori:  
Nec semper vagus errat Honos, indignaque  
captat

Pectora, sed meritam Virtute indagine Famam  
Vestigat tacitus, certisque pererrat ocellis,

Donec agat se dignam in splendida retia prædam.

Nimirum nimis est (clypeum jam signat Apollo,

Quo tanquam è folio placuit suspendere sacras

Pontificum mitras) nimis est cata palpebra

Divis,

Ut videant bene, cui summi tribuantur honores,

Quisve sciat stabili virtutem jungere musis

Conjugio, & duplici laudem mercede pacisci.

Cuncta vident, inquam, Divi, tacitòque repo-  
nunt

Pectore, quæ quondam merito splendore co-  
ronent.

Provida viderunt ergo quoque Numina,  
quantis

SFONDRAUS meritis jam clarum exfurgat in ortu,

Quàm pulchras foveat calido sub corde favillas;

Atque hos ut Lucis radios diffundat in omnes,

Quicumque incoherent Sacratam Numinis Ædem,

*Antistes Novaræ* (sic disponente, suprema

Cui cum Romano Solio concessa potestas)

Præficitur, propriam aucturus cum munere  
Lucem.

Ac veluti dives pretiosi vena metalli

Cùm tumultata diu latet inter viscera magnæ

Matris, vel Pactole, tuis submersa procellis;

Aut

Defertur  
Episcopa-  
tus Nova-  
rensis ab  
Innocent.

Aut in Erithræis quæ sæpe absconditur algis  
Longas gemma moras : sed tandem nobilis iste  
Partus, vel terræ gremio, vel margine Ponti  
Productus, factusque suo spectabilis ortu,  
Magnum circumfert secum pretiumque ju-  
barque.

Sic decuit: meritis ut cum SFONDRATUS ubique  
Cresceret, hic pariter secum sentiret honores  
Crevisse, ac caperet dignos è semine fructus.

Et jam *Sponsa* novo *Novaræ* lætissima  
*Sponso*,  
Floribus & fertis involvi limina; cultu  
Ornatos Phrygio, muris fulgere tapetes;  
Ardere & jussit numerosis lampada flammis  
Jussit & Eo fragrare altaria fumo,  
SFONDRATUM veluti festo exceptura triumpho.  
Cum subitò ecce suis abituro vincula votis  
(Vincula, non ea, quæ rigido plangente metallo  
Malleus Ætnæis cudit Vulcanius antris;  
Sed quæ sanctus *Amor* puro conflavit ab auro)  
Injicit, amplexuque ligat *Concordia Fratrum*  
Ducentum à *Divo* celeberrima Nomina *Gallo*.

Quare confurgunt vario certamina motu,  
Dum CÆLESTINUM patrio solique soloque  
Restitui poscit *Latium* Natale, sed ægrè  
Evelli sibi sentiret *Terra Helveta Stirpem*  
Antè suâ plantatam operâ, fusèque rigatam:  
Rursus *Roma*, Gregem *Aulonio* qui pasceret  
Agro,  
Pastorem, sed *Relligio Nursina* Parentem

G

Optat,

Omnia  
summa in  
Emmanuel  
Cardinalis  
Eligitur  
in Principē  
& Abbatem  
Ducalis  
Monasterii  
S. Galli in  
Helvetia.

Optat, qui posset Natósque Domúmque tueri.  
O celebris pugna, æterno memorabilis ævo!  
Spectari â superis dignissima pugna; quis inter  
Omnes, Virtutem titulo potiore coronet.  
Vincit, qui bellum scit tale movere: triumphat,  
Hoc quicumque modo de se pugnare coëgit.  
Sed tandem valuère preces, valueréque vota,  
Quæ sacra *Relligio* magno congeffit in unum  
SFONDRATUM studio: duplex grave pondus Ho-  
noris

(Si grave, qui vel mille capax dignúsque ferendis)  
Ut simul & PATRIÆ PRINCEPS, simul esset &  
ABBAS,  
Non humeris equidem, sed notâ cogitur arte  
Ingenii portare sui *Sfondraticus Atlas*.

Singula quid porrò memorem? Velut auri-  
fer Hermus,  
Armeniúsque, pati pontem qui nescit, Araxes,  
Et celer Eridanus, gemmísque micantibus ar-  
dens  
Gangis aqua, & candens Rhodanus spumante  
procellâ,  
Et Tagus & Bætis, sexcentáq; flumina Pontum  
Intrant, nec Pontus tamen altior inde superbit,  
Aut præfixa sibi transcendere litora tentat.

Omnia  
summa in  
Eminentiss.  
Cardinale.

Sic in SFONDRATI pectus, mare fluxit in unum  
Omne Decus; Summas non inferioribus æquat  
Stirpes Majorum titulis; Ipse auget avito,  
Virtutum meritis, tractam cum sanguine Fa-  
mam;

Nu-

IV.  
*Gaudent sua dona probare.*



Numine deficiente meo, sanè omnis haberet  
In CÆLESTINO dignum Sapia Phæbum.  
Usque adeò, quæ alios, si sint divisa, beatos  
Efficiunt reliquos, augusti pectoris unus  
Ille throno collecta tenet : sed enim æquoris  
instar

Hos inter Decorum affluxus, non ulla tumescit  
Fortunam super, elato Jactantia fastu,  
Cuncta sed involvit reverente Modestia peplo.

Sic Phæbus noster, me singula verba notante,  
*Scuta*, ac in visis renitentia symbola *scutis*  
E docuit, factoque hîc tandem fine quievit,  
Oppressus numero tantarum & pondere rerum.  
Ut ne sola tamen videatur verba dedisse,  
Convocat Aonidum turbam, junctoque labore  
Imperat, *Arboream*, ramos, decerpere pompam,  
Et CÆLESTINO dignam indè parare *Coronam*.  
Nec mora: depositis cytharisque, lyrisque, tu-  
bisque

Omnia vultu hilari Parnassi Numina sese  
Accingunt operi, certatim è culmine frondes  
Excitant, fertumque parant, & germina fle-  
tunt.

Musarum  
studium in  
flectenda  
Corona E-  
minentissi-  
mo Cardi-  
nali.

Inter prima omnes Erato tria millia carpit  
Ramorum è Cedris; totidem Musa inclyta Clio  
Colligit è Lauris; valdè officiosa Thalia  
Rescindit magno cumulo florentia Palmis  
Brachia; Chaoniis humeros onerata sinumque  
Euterpe foliis, humerosque sinumque parando  
Serto effundit in obsequium : sic Diva sacratis

Uranie ex Oleis plenas pinguedine baccas,  
Sic & Calliope, sic omnes ordine (nulli  
Huic operi licitum se se subducere) Musæ  
Flectendo fertō vires & munera jungunt.  
Quin, ecce! ut valido sua sponte cacumina motu  
Concutit, & sese sic concutiendo, frequentes  
Ultrò dejicit ingenti conamine frondes

Arborcs  
spontè ex-  
cutiunt  
suas fron-  
des in obse-  
quium Mu-  
sarum.

*Arboreus nemorum Populus.* Quasi turbidus

**Auster**

Cælo præcipitet niveos denso agmine floccos,  
Sic decussa cadit sylvarum gloria, lætæ  
Frondes. Nimirum *gaudent sua dona probari*,  
Et nunquam florere magis se germina credunt,  
Quàm si SFONDRATI placidissima tempora cin-  
gant.

Interea, dum Castalides sua gaudia miscent  
(Maxima Castalidum quid enim nisi gaudia di-  
cam,

**CÆLESTINE!** Tibi, tanto servire Patrono)  
Et quævis studiosa suos conferre labores  
Ardet adhuc magis inceptâ decorare Coronam,  
Ecce tibi! subitò ductis per nubila fulcis,  
Bis binis, niveis non ullâ labe notatis  
ROMA affertur equis: non ut quondam effera  
jactans

Advolat  
Roma.

Belligerâ arma manu, non formidabilis hastâ,  
Aut tumidâ cristis galeâ, flammâsque vomente  
Tecta caput, non cincta sinistrum umbone la-  
certum,  
Nec jam sanguineæ ritus imitata Minervæ;

Sed



Sed faturata probè Oebalio ter purpura Succo,  
Ad geminos demissa pedes, fluxúque decoro,  
Undanti modicè lambit vestigia limbo :

Augusto diadema triplex in vertice, gemmis  
Auróque affusum radiat: *Cruce* splendida magno  
Pondere lævam implet, sed binas dextera *Claves*  
Gestat, prævalidas Claves, quarum altera puro  
Candicat argento, fulvo rubet altera ab auro:

Ex alto fulgens miro splendore *Columba*  
Imminet, arcanas velut infusura loquelas,  
Nec nisi Numinibus notas: à fronte quadrigæ,  
Quà temo surgit, clypeus spectatur, & unà  
In clypeo ad vivum facies expressa *Supremi*  
In Mundo *Capitis*, solo quod solvere vincita  
Imperio, nutùque potest vincere soluta:

INTEGRITAS illi spectata *bis* ordine *sexto*  
Imposuit nomen: propè stant **TRES** insuper

OLLÆ

Parvæ equidem, sed quæ vel Divûm nectare  
plenæ,

Vel meliore Galaxiæ de lacte redundant.

Prætereà sociæ currum junxêre, Sorores

Stellarum geminæ, *Virtus & Gloria, Romam*

Quæ semper, quoquò pergat, comitantur eun-  
tem.

Talem ergo pallam, tales indutâque cultus,

Talia signa gerens, folio sublimis in alto,

Non rapido cursu, sed Majestate verendâ,

Veçta venit *Mundi Regina*, oculosque deorsum

Mittens, ut tanto Aonias conamine Nymphas

Flectere ferta videt (quid agatur, & ipsa vicissim

H

Quid

Quid tentare velit, cunctarum præscia rerum).  
Retrò frena trahens, stare alipedes jubet; hi  
stant:

Et, quis vos, altùm clamat, labor iste fatigat  
Impiger? O Musæ! Musarum nulla vel aures  
Vel responsa dare, ingenti fervore sed omnes  
Cæpto instare operi. Rursus Roma altiùs infit:  
Heus Musæ! Musæ! sed rursus turba Dearum  
Verba negant. Unus nimiùm labor occupat  
omnes,

Munera muneribus, ramos connectere ramis,  
Et fertis nova ferta novis superaddere. Tanta est  
CÆLESTINE! Tuis pro Te solertia Musis.

Uranie tandem, bis, terve, quaterve rogata,  
Non tamen avertens oculos, affixa labori,  
CÆLESTINO, inquit, SFONDRATO ferta paramus.  
Nec plura: & propiùs jam *Roma* allapsa per  
auras

Ter formans sacra signa Crucis, ter amabile  
torvo

(Ut decet) arridens vultu, totièsque modestè  
Virgineas tumefacta genas, suavi ore *Coronam*  
Afflat, quali *Aurora* solet depingere flatu  
Purpureas in vere rosas. Per sidera, pérque  
Omne, quod in toto visum spectabile Mundo!  
Quid video? subito quænam hæc mutatio casu?

Scilicet ut primùm leviori flamine fertum  
Appetiit *Roma* (aut meriti quiscunque favoris  
Spiritus ille fuit) viridi mox germina cultu  
Mutato, roseo perfusa videntur amictu:

Corona  
Musarum  
mutatur in  
Galerum  
Cardinal.

In

V.  
*Vult spatium Virtus.*



In villosa abeunt frondes amenta, subítque  
Ducta in multiplices dependula fáscia ípiras:  
Tota Corona, labor virtutum, tota Corona  
Musarúmque labor ( Parnassi plaudite rupes )  
PURPUREI recipit formámque usúmque GALERI.

O quám tempestiva fluunt, quám munera  
Divúm

Sunt certo fundata loco! Jam constat abundè,  
Quam *Virtus*, & juncta suo *Doctrina* Clienti  
Nectant, ac flectant, Cælo aspirante, *Coronam*.  
Jam liquet, unde suos ARBOR SFONDRATICA Ra-  
mos

Evectos super hæc rerum mortalia, supra  
Fortunæ casus, sublimibus inferat Astris:  
Nunc scimus, quám Divinos, per sæcula nun-  
quam

Interrupta, ferat *Stirps* laudatissima fructus.

Quantus enim verò splendor, quæ gloria  
rursus

Accessit vestro Generi, SFONDRATE! quòd inter  
*Purpureos* sededas, terrestria Numina, *Patres*,  
*Romuleo*, quo quid majus? spectandus in *Ostro*.  
Longè omnem luxum, variatáque stamina  
Serum,

Et mundi pretium, Phryxeáque vellera, notum  
Jásonis id spolium, Parthorum cingula, cunctos  
Oceani nitidos gremio flagrante pyropos,  
Et fulgentia regali diademata fastu,  
Et quidquid jactare potest Opulentia, quid-  
quid

Summa  
sacra Pur-  
puræ digni-  
tas.

Fingere fæcundo quantumvis Græcia partu,  
Majestate procul superat, transcendit honore,  
Exsuperat pretio, præcedit laude, decore  
Vincit *Purpureus*, quem misit Roma, *Galerus*.  
Scilicet haud alias communi hæc munera voto  
Quàm Divûm sensère manus. Non ausa la-  
borem

Hïc conferre suum, vitium solenne secundis  
Ambitio rebus, flavasque innectere cristas;  
Nec tristes vivis miscere coloribus umbras  
Ullus tentavit Livor; sed lætus in illo  
Tam sacro quæcunque stupes miracula dono,  
Est totum Virtutis opus, nec habere videntur  
Munus adhuc Superi, quod non prædivite  
cornu  
Contulerint, digno ut niteat Sacra Purpura  
cultu.

Et talis cùm sit Roseo tantusque Galero  
Majestatis Honor, non est tamen altior ille,  
Aut meritis, SFONDRATE! Tuis, Virtutèque  
major.  
Magnus es, & sublime tenes cum munere cul-  
men;  
Sed non inferiora potest, quæ singula semper  
Æqua lance librat meritorum pondera, Roma  
Summæ Virtuti dare præmia. Maxima spectas;  
Jure parem titulum laus opportuna reposcit.  
O quantus Soli calor est, lumenque! nec ista  
Miratur quisquam spectacula: scilicet ingens  
Ingenti quidni Soli est lumenque calorque?

Et

Et legem hanc ultrò tibi CÆLESTINE, tulisti,  
Maximus ut meritis simili quoque luce niteres.

Interea, quoniam nescit molimina Virtus  
Tarda pati, quin vivo animata calore, supernas  
Poscit anhela faces, & tota quasi ignea sursum,  
Quò melior Genius, quò Fama & Gloria ducit,  
Pulchro eluctari gaudet super æthera nifu :  
Hinc pariter citò, percupidus parere vocanti,  
Quo-Numen Te-cunq; jubet, nil cætera curans,  
Quæ privata, sequi, solo succensus amore  
In commune bonum, ardebas contendere Ro-

Pergit Ro-  
mam Emi-  
nentissim.  
Cardin.

*mam.*

Et bene : VULT SPATIUM VIRTUS amplissima,  
quale,

Donec promissum repetat sibi, sidera, regnum,  
In mundo dare sola potest *Dea Maxima* mundi.

Jam satis Helveticos, multis, quibus insita, lustris,  
Ditabat Montes ARBOR SFONDRATA: decebat

Illam SEPTENNIS (nihil his complectitur æther  
Altiùs in terris, nil toto augustius orbe)

COLLIBUS inferri: quò nempe propinquior astris  
Cælestes caperet vel certiùs Ipsa favores,

Latiùs aut captos iterum diffunderet imbres,  
Fæcundans siccum felici aspergine mundum.

Quid? Rhamnos & Sambucos, humilésque  
myricas

Et sine fructu & sylvestrem sine nomine vul-  
gum,

Parva arbuſta juvet demissâ in valle locari.

Est certus cuicumque locus; sunt omnia rerum

Momentis suspensa suis. Prægrandia solùm  
*Sfondratam* tua, *Roma!* decent fastigia *Stirpem*,  
Quò posuere suam *Virtus* & *Gloria* sedem.

ROMAM ergo, SFONDRATE! venis, urbemque  
subire  
Contigit: haud equidem pompâ turgente su-  
perbus,

Aut fastu spectandus eras: non ferrea circum  
Affusa hærebat lateri seges; horrida nullo  
Pulsa repulsa boum clangebant terga tumultu;  
Sed neque festivas vomuit bombardæ favillas.

Comitan-  
tur Emi-  
nentissimò  
Card. suæ  
Virtutes,  
scientiæ,  
merita.

Solus Virtutum longissimus ordo, chorúsque  
Musarum, comites aderant; præeunte co-  
hortem

Et monstrante viam Genio, cui nomen Ho-  
noris

Fama dedit; longo Meritorum copia tractu  
Cinxit utrumque latus; famulorum Vota se-  
quentùm,

(Queis utique Aonides, queis *Salzburgensis*  
*Apollo*

Annumerandus erat) totum clausêre trium-  
phum.

Atque ô præclarus comitatus! clarior omni,  
Quàm si vel decies niveo Capitolia curru,  
Et victor quis Tarpejas conscenderet arces;  
Quando sibi Virtus suus est plausúsque decúsque.  
Et veluti tantâ nunquam caligine Phæbus  
Obtegitur, quin exurgens è nubibus atris  
Producat sublustre caput, sua tegmina fallens:

Sic

Sic quamvis latitare volens, fugiēsq̄ue sonoras  
Plaudentūm voces, tacito sacra limina gressu  
Intrares, majore tamen splendore refulsit  
Virtus, nec poteras humili sub nube latere;  
Quin resonas mox Fama tubas inflaret, &  
omnem

CÆLESTINE! Tuo repletur numine Romam,  
Hic est ille, palam referens crispantibus auram  
Ad vocem lituis, hic est, quem diligit æther,  
Astrorum formosus Amor, cælique voluptas.  
Hic est, qui pridem Majorum è sanguine nomen  
Immortale trahens, meritis nunc eminent altus  
Ipse suis, & quem Stirps antè antiqua decorum  
Reddidit, ipse novis didicit cumulare trophæis  
Séque suosque. Hic est, quem docta volumi-  
na Doctum,

Fama evul-  
gat adven-  
tum Emi-  
nent. Carc

Relligio Nursina Pium, Prudentia Magnum,  
Dilectum cunctis animi Submissio, toti  
Denique comendat rerum experientia Mundo.  
Hic est, qui antè sacris fulgens in vertice mitris,  
Nunc idem quoque Romano rubet inclytus  
Ostro.

Hic est, qui quondam : sed dicere plura pa-  
rantem

Ora premens digito, vultūque minace, tacere  
Famam, CÆLESTINE! jubes, audire recusans,  
Quid Divinus adhuc de Te meditetur Ocellus.

Nec mora : Romanis laribus tectoque re-  
ceptus,

Quæ, Superi! mox signa dabis, clarissima signa,  
Quàm



Quàm merito commissa feras sacra munera  
plausu.

Cuncta decent, quæcunque facis: Te *Roma*  
loquente

Hæret, & ipsa stupet facundæ flumina linguæ.  
Si fortè implicito solvenda negotia nodo  
Occurrunt (quàm sæpe solent occurrere?)

quæque  
Multorum lassant animos, studiùmque fatigant,  
Tu veluti ridens, mox intima & ultima primo  
Intuitu facilis penetras, clarèque resolvis.

Nil fingo, quæ facta, cano; quæque omnia  
dudum

Per totum sparfit Soboles Cyllenia mundum.

Si Te spectassent antiquæ sæcula Romæ,  
Æternus tu Dictator sine lite creatus  
Jura, sibi de te populo plaudente, dedisses:  
Quin lectos etiam circum delubra Deorum  
Stravissent cives, nec non gratante Senatu  
Duxissent festos ad Pulvinaria cætus.  
Sed sicut nostro Te maxima Gratia Cæli  
Servavit mundo, Téque istis *nobile Sidus*  
Temporibus lucere dedit, sic *Roma* dolere  
Dicitur hoc unum, quòd tanto Sole liceret  
Serò nimis præsentè frui, nec provida pridem  
Purpureum tibi, quo fulges, concesserit ortum.  
Quamquam istas etiam bene compensare vi-  
deris,

CÆLESTINE! moras, dum quæcunque antè ne-  
gârunt

Tem-

VI.  
*Dabit Umbra quietem.*



Tempora, in immensum nunc aucto lumine  
supples.

Id cave, ne Cælum nimium te præcoce  
plausu

Eripiat, citiusque petat sua pignora reddi.

Nam certè, veluti si quando cælifer Atlas

Suppositos humeros paulum subduceret axi,

Continuò tremeret mundus; subsidere cursus

Æthereos & agi motas vertigine stellas

Sentiret mortale genus formidine plenum.

Sic, quando subitum tentarent æmula raptum

Sidera, quantis concuteres mæroribus orbem?

At vestram, precor, Astra, fidem: servate PA-

TRONUM;

Vivat & innumeros *Arbor Sfondrata* per annos:

Non illam infestet caries, non ulla furenti

Turbine, vel moto tentent invadere morbo

Livida monstra Erebi; quin immortale pereñet

Cum Cedris Laurisque decus, fructusque vi-

rórque.

Scilicet ulterius *Sfondratæ Stirpis* egemus,

Nec fatis illa diu floret, nisi sæcula vitæ

Impleat, impletisq; ad primæ tempora rursus

Ætatis redeat, gaudens florentibus annis.

Magna ex TE, SFONDRA TE! capit solatia, magnum

Insolitumque jubar, magnam *Sacer Ordo* co-

lumnam;

Auspiciis (dubitare nefas) quicumque secundis

TE Talem Tantumque dedit Cæli Favor, idem

Incolumem servare diu poteritque volétque.

K

At-

Vivat, pe-  
rennet Emi-  
nentissim.  
Cardinalis.

Comen-  
datur S. Be-  
nedict. Or-  
do Emin.  
Card. Pro-  
tectioni.

Atque his conceptis submisso pectore votis,  
Ecce! sacros omnis se se *Nursina Propago*  
Abiicit ante pedes, venerabunda oscula figens.  
Multa potes : dextrâ Tu illam defende potenti:  
Multa sapis : facilem sapienti dirige nutu.  
Multa foves : *Matrem* affectu dignare *Paterno*.  
Sic stabit semper, sic inconcussa vigebit  
*Gloria Nursiadum*, TE PROTECTORE supremo,  
Et quodvis prohibente malum, fortémque si-  
nistram.

Commen-  
datur Salis-  
burg. Uni-  
versitas.

Sed tamen imprimis supplex tua Numina  
poscit  
Turba Heliconiadum, quam (nomina nota)  
*Juvavus*

*Pindus* alit: multúmque tuos ex Fonte Favorum  
CÆLESTINE! sitit riuos potare liquores.  
Ignosce audaci voto. Tua maxima mentem  
Fama rapit, méritisque subit fiducia major.

Id meminisse velis, quàm certi indagine fati,  
Et meliore notâ, quàm cæso viscera tauro  
Inspiciénsque fibras id dicere sciret aruspex,

Perfectif-  
simè imple-  
ta sunt va-  
ticipia &  
vota Recto-  
ris Magnif.  
Salisburg.

Jam tunc, cùm solito Doctorum insignia ritu  
*Salzburgi* caperes, hoc ipsum culmen Honoris  
Purpureúmque jubar bene divinarit *Apollo*  
*Noster* (qui Parnassi etiamnum Rector habenas  
Magnificus cum laude gerit, Musásque guber-  
nat)

Præfagâ tunc mente vovens, ut *Epomidis* iste  
Doctoralis honor, sed tantùm ex parte rubentis,  
Totus *Cardineo* quondam radiaret in *ostro*.

Im-

Implevere pii Superi votúmque precésque  
Nostras (tam fuerant ardentia vota precésque)  
Jam TE conspicimus Solium sublime tenentē;  
Jam quem Jura prius, Sacras & tradere Leges  
E Cathedra Themidis licuit spectare, videmus  
Omnes *Romanis* fundentem oracula *Rostris*.  
Plaudite, Pierides! Summum tetigisse videri  
Nostra potest Fortuna gradum. Conscendi-  
mus astra,

Quò nunquam Livor rostro penetrabit adunco:  
Nunquam Palladium repetet temerarius Ajax.  
Credite: larga fluent pretiosis sæcula rivis,  
Optabitque omnis nostro de fonte bibisse,  
Accendente sitim SFONDRATI Nomine, doctas,  
Et saturante simul gustato flumine, Lymphas.  
Vivite, si qua fuit, positâ formidine mentis,  
Tutam SFONDRATÆ dabit ARBORIS Umbra  
quietem.

Tuta quies  
sub Sfon-  
drata Ar-  
bore.

F I N I S.



*Exaltabuntur Cornua Super*

*Et Angulus inprospicit quorundam*

*Non ut decoret, sed ut splendat*

*In Angulis eriguntur*

VIVAT VIVAT  
EPI SCOPVS FRISLINGENSIS  
IOANNES FRANCISCVS  
EX BARONIBVS EGCKHERIANIS  
à KHAPPING ET LICHTENECK  
CALENDIS VIIII  
SOLENNI RITV ATQVE INAUGVRATIONE  
CONSECRATVS

TYPARCHIS GRATULANS  
 IN  
 SOLEMNISSIMA INAUGURATIONE  
 REVERENDISSIMI  
 AC

CELSISSIMI  
 S.R.I. PRINCIPIS  
 Domini, Domini

 OANNIS  
 FRANCISCI  
 EPISCOPI FRISINGENSIS,

EX  
*Illustrissimis Baronibus Eckherianis,*  
 &c. &c.

Kalendis Julii M. DC. XCVI.

*Submississimè oblata*

à

*Servo humillimo*

JOANNE BAPTISTA MAYR, Salisburgensi Typographo Aulico-  
 Academico.

PRIMA DIE IVLII  
INA VG VRATVS  
EPISCOPVS FRISINGEN-  
sis  
VIVAT.





Tandem  
Eluctata est è votis suis

**FRISINGA**

Quibus seriùs certè, quàm vellet, illa publico illuxit Dies,  
Quæ

Fluctuantem inter desideria,  
Justòsque gratulandi titulos absolvit.

Calendas Julii expectatissimum  
ferenavit diluculum,

Quia

**CELSISSIMUS AC REVERENDIS-  
SIMUS S. R. I. PRINCEPS**



**O A N N E S  
FRANCISCUS**

Ex

*Illustrissimis Baronibus Eckherianis*  
**FRISINGENSEM ungitur in EPI-  
SCOPUM.**

*Dies albo notanda calculo!*

Quam  
Nulla unquam nubium adumbret caligo,

Quâ  
Languentia eriguntur pectora,  
ut rore germina.

*Eja ergò Typarchis,*

In materia gaudiorum communi plausus adjuva pu-  
blicos,

*Applaudere, Concine, Aggratulare,  
Victoriam, Triumphum, Infulam.*

Gratulare

**Diœcesi Episcopum,  
Imperio Principem,  
Ecclesiæ Columnam,**

Ovibus

**Pastorem bonum,**

Subditis

Vivam attolle in REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO  
**PRINCIPE**

*(Si tamen attolli potest, quem propria excellentia ad summa extulit)*

**Virtutis Statuam:**

*Statuam, ajo, non in angulo laten-  
tem, sed in caput anguli factam;*

Utpote

Matth. 21. 24.

**Solidissimo nixam fundamento,  
ipso scilicet summo angulari lapide.**

Eph. 2. 20.

PO.

Potuit quidem Celsissima hæc Statua hæctenus suâ glo-  
riari origine,  
Et

**Illustrissimâ gaudere Profapiâ.**

Sed maluit,

**Ut inferta annulo gemma,**

**Illius splendorem augere ;**

Non ignara,

*Satius esse ut in se glorientur parentes,  
quàm illa in parentibus.*

S. Hier.

Ambitiosius magis, quàm veriùs, olim gloriabantur Ro-  
mani :

Romæ Consules nasci,

Alibi educari.

Est sanè Eximium sanguinis beneficium

Principem nasci ;

Sed

Non minoris est gloriæ,

**Ad tam præclarum Illustrissimæ  
Celsitudinis fastigium suâ virtute  
eluctari :**

Et

*Quia vera Nobilitas à probis moribus conflare nata est, ac  
firma, & stabilis dignitas virtute comparatur ;* S. Isidor.

Ideò

**Innocentissimus Princeps**

Præclara aviti Sanguinis pietate ab ipsis incunabulis uber-  
rimè lactatus,

B

Dum

Dum per ætatem ratione uti licuit,  
Religionem & Prudentiam Pædotribas sibi  
delegit,

Ætate adolefcens, meritis senex;  
Non priùs floruit, quàm fructum  
dederit,

Novo prodigio

Autumnnum cum Vere conjun-  
gens:

Adultam enim virtutem nun-  
quam promisit, sed semper edidit,  
exemplo docens,

Virtutẽ sine canis maturam esse,

At

*Quia in aulis difficilis est custodia probitatis*

Ne liliatum innocentissimi cordis  
fædaret candorem

*( Nam & optimis facile inhærent aulæ mores. )*

Clericali militiæ nomen dedit,

Et

Castimoniæ voto omnes affectus ita Superis agglu-  
tinavit,

Ut nihil habuerit in terris,

Quo à Deo averteretur.

# INTER CANONICOS AD- SCRIPTUS

Innocentiâ candidus,

Fervore candens,

Per mores suos formavit alienos.

Et cùm plurimùm valeret eloquio,  
Plurimùm effecit exemplo;

Probè gnarus,

Nequitiaè Populi Obstetricem esse perversitatem Cle-  
ricorum,

Quam qui ante omnia non evertit,

Mala in ramis rescindit,

In radice lactat.

# AD DECANATUM PRO- TRACTUS

Melius censuit

*Mori quàm sibi vivere.*

Aurel. Valerianus

Nunquam dulciùs feriabatur, quàm cùm pro bono pu-  
blico laborabat

Neglecto proprio.

Doli iñmunis, simulationis expers,  
nihil audiri fecit in verbis,

Quod non expressit in factis:

Cùm loqueretur, edebat oracula;  
cùm taceret, exempla;

David in templis,  
Salomon in Confiliis;  
Fortis tamen semper & recti tenax  
pro justitia & vindicanda Capituli  
libertate acerrimè pugnavit.

Quibus cùm facilè omnium sibi emisset æstima-  
tionem,

Sola Virtus Militem suum ulterius fatigare  
institit.

Non ideò tamen à ratione disce-  
debat,

Sed præsentis animi semper ute-  
batur consilio.

*Constantis enim animi est, non perturbari in rebus  
asperis:*

*Cic. I. off.*

*Secundis rebus fidelem se declarare, magnum quiddam  
videri non debet.*

*Sed demonstrare Constantiam afflictis amicorum rebus,  
Id sempiternam memoriam meretur.*

*Xenoph.*

Constantia per injurias non tan-  
tùm patet,  
Sed & clarescit.

Cùm de Episcopo (Venerando terris Capite) subrogando  
Comitia fervent,

Pro-

# Providentia Numinis pro Suffra- giis fuit

Quibus Sacra comitia quidem absolvit,  
At novum simul capeffendæ Gloriæ campum  
aperuit,  
Canens Clafficum post decretum Triumphum:  
Et quam ab æterno destinaverat

## *Sacro Capiti*

Cunctatur imponere Mitram.

Sed & cunctando augetur authoritas;

Nam

*In cunctando bona insunt, si non talia, quæ statim vi-  
deantur, certè quæ suo tempore bona quis esse  
comperiet.*

Herodotus.

Et

*Parvæ moræ magnum commodum habent.* Ovid. 3. fast.

**Princeps utriusque Fortunæ,  
Alteram tulit fortiter, alteram re-  
git temperatè;**

Nunquam illi succumbens, nunquam huic innixus;

Tam insitis, quàm adscitis Virtutibus  
Aram & Aulam decorat, dum decoratur.

Ut aded nescias,

**An Ipse à dignitate acceperit, an  
dignitati contulerit dignitatem.**

Et cùm fama de conspicuis Viris nihil patiatur igno-  
rare,

**Ipsa Adversitas**

**Exaltandæ Gloriæ succollat,**

Gloriosior factus ex adversis, quàm potuisset ob-  
sequijs,

**Jubente ROMA, Exultante**  
**FRISINGA,**

Applaudentibus universis solemniter inauguratur

**PRINCEPS,**

**Vitæ Integritate, Animi Cando-**  
**dore, Corporis frugalitate,**

**Morū honestate, Amore in DEUM,**  
**Benignitate in homines,**

**Constantia in adversis, Modera-**  
**tione in prosperis**

*Facile primus.*

**At lassata subsiste Typarchis,**

Celsissimam Virtutem imæ Laudes non assequuntur,

**Vo-**



Vota potiùs replica,

Et inter effusos exultantium Animorum applausus

Acclama :

IO FVLGEAT MITRA

PEDOQVE,

O VIBVS SVIS

PRÆSIT, PROSITQVE

PERENNITER

EPISCOPVS FRISINGEN-

SIS.

BE LgraDI MoenIa  
 In VICta AVstrlæ VIRTVs  
 sVbegIt & eVertIt.

**CUJUS ALIARUMQUE  
 MEMORABILIVM VICTORIARVM  
 SERIEM**

Hoc Auspiciatiss.<sup>mo</sup> Magni **LEOPOLDI**  
 Sæculo habitarum

SUB AUSPICHS INCLYTI DUCATUS CARNIOLÆ

**POST QUAM  
 UNIVERSVM POPVLM  
 FESTIVE PIAS DEO  
 EXOLVERE GRATES**

ET PRO VITA FUNCTIS HEROIBVS QVORVM SANGVINE  
 LAUREA VIRESKIT AVSTRIACA  
 PRECARI JVBEBAT

HUMILI CALAMO EXHIBUIT  
**GEORGIVS ANDREAS GLADICH AA.**  
 LL. & Phil. Doctor. SS. Theol. & J. V. C.

Exurge Domine in ira tua . & exaltare in  
 finibus inimicorum tuorum. Psal. 7.

CELSISSIMIS PRINCIPIBUS,  
EXCELLENTISSIMIS,  
REVERENDISSIMIS, ILLU-  
STRISSIMIS, PERILLUSTRIBUS, GE-  
NEROSIS, MAGNIFICIS, NOBILIBUS  
STRENFIS &c. DD: DD:

Inclyti Ducatus Carnioliae Proceribus.

Domini Dominis Gratioff.<sup>mis</sup>.



*B. revocata in Provinciam cum primævo decore  
Aurea saturni sæcula.*

*Mirè servatos ab Universalis undequaque grassanti  
Pestifera Lue, in contaminatos Patriæ lares.*

*Compositos agrestium tumultuantium efferatos animos.*

*Restitutam Patriæ tranquillam pacatæ quietis  
Malatiam.*

*Excinanitos, repressosque Ottomanorum irrumpentium  
Insultus.*

*Innatam in Deum Pietatem, in Austriacam Domum Fidem,  
In subditos benignitatem.*

*Reparatam denique æquitatis, Virtutumque omnium  
Palestram.*

*In toga Sapientissimis in sago fortissimis*

*In Utroque Consilio & Industria*

*Patriæ Patribus.*

*Hoc perennis obsequij & devotionis*

*Suæ Monumentum.*

DD: DD: CC:

Georgius Andreas Gladih.

# AUSTRIA GLORIOSA



Ujus semper Amasius tonans Jupiter,  
Quam cinxit lauro, tuetur fulmine.  
En fidus Zelotes!

Ingeniosè quàm rivalium deludit operam  
Summa petere passus, ut lapsu graviora ruant.  
Fidem sacer Sanctè servare perhibet

Quia sibi sacrata  
Sic servare Deos convenit.

Audi:

Extolit in Oriente caput Monstrum Asiæ  
Orientis umbraculis æstum temporare volens,  
ò aptum languenti pharmacum!

Scerpit jam super læculum per Pannoniæ pomaria  
Ubi livore suo cerpsit ingentes fructus;

Fortissimas videlicet aut astu, aut ferro oppressit Urbes,  
Austriacæ demùm Majestatis Patriam Sedem impetijt.

VINDEBONAM, bona sibi Austri Imperia daturam ratus,  
Ast: ad propriam ruinam festinatò pervenit

Qui impotenter graditur ad alienam,  
Dum nimium alterius casui intentus, suo non satis cavet,  
Aliorum cladem qui sollicitat, suorum stragem experitur.

Occidenti Phœbus, Orienti præest fatalis luna.

Dis pares radijs, impares viribus.

Lucifer funestum casum didicit perpetuo interitu

Quia altissimi Phœbi lucem ambivit.

Nimiæ enim lucis cupiditas plerumque luitur cœcitate,

Nam acrimoniâ solis perstringuntur Phaëtontes.  
Qui contra fatorum contumaciam violentus nititur  
Eorum tandem potentiam experitur.  
Post controversas imparium syderum lites,  
Post dubiam stantis cadentisque fortunæ vertiginem,  
Cælo Arbitro, Astræa Judice  
*Tandem bona causa Triumphet.*

Mirare lapsum Icaris  
Jam ad sublimia evehctus, læsæ Majestatis pœnas dedit,  
Quando ad *Fabiana* mœnia ruens allisit caput  
Summum & imum metiens,  
Cujus cruore natat naufraga Thracia  
Jam iam peritura in suorum viscerum cruore  
Nescia misera ibi Jovis vulcaniam  
Ubi cuduntur Universi fulmina  
Quæ vibrat in Bizantiæ ruinam.  
Dispersas demùm collegit vires infirmo consilio.  
Non duraturas sinistro fidere natas,  
Austriæ fronti & Pectori opponit Martem  
Formidabilem sese gloriatur, interitum Orbi minans.  
Vach portentum!  
Vix imminuit, mox terga dedit Victoribus.  
Ignarus quo fugeret castrorum desertor  
Quia fugitivus aut in laqueum, aut in enses furit,  
Sibi Coripheus interitum, suis stragem paravit,  
Nonquid fatale *Malum* tanti mali Austriam dices  
Cui hianti ore semper inhiat  
Tantali instar nunquam capit,

Candidum & rubicundum, fulvo pessimum Oraculum.

Hic Primus felicianum sortitur nomen

Secunda sint & feliciora quæ LEOPOLDUS Primus

Consilio & Industria parat.

Porrò Strigonium stridore & fragore extræma suscipit.

Vivarinum diù fumo pastum in auras demùm tollitur

Nisi sic in ignium luce rapi obsucrum sit,

Vanum cum fumo & pulvere elevari.

Hos humanitatis gradus inluctum *Essetium* respuit,

Præstat cedere loco ratum, quàm turpiter amoveri.

Majora ausa *Buda* è colle despexit humiles miricas

Quas si in Montem creturas arbitrata

Maturiùs sapuissent aliorum consilio obsessi Phryges.

Etiam minoris exemplum major non despiciat

Cum par metus utrùmque premit.

Majorem vindictã sibi cudit, qui magnã securitatẽ fabricat.

Nihil est quod obstat invicto pectori,

Vincere semper vinci nunquam solito.

Mobiles muros secum gestant quos non terrent fulmina

Non tangunt jacula, quos natura armavit,

Ruunt illi cum muris animi quos solus furor animat.

Et hi parentarunt sanguineis lachrimis

Formosam sibi ereptam Hælenam

Quando invictæ Trojæ, Victa cessere mœnia

Fumantia diro incendio, natantia civium cruore.

Sic Barbarorum fastus factus humilior

Excelsior triumphat Mars Austriacus.

Ad alia progressus Vindictæ media

Spe vana fretus in medio campi jecit martis aleam  
Ferè oblituit myriadibus pugillum Teutonum

Ast: non impetu, sed consilio & industria metuntur Victoriæ.

Privilegio solis gaudent invicti Belliduces

Ubi sese ostentant diffugiunt nubes

Obortas tempestates vel dissipant, vel enervant.

Sic factum: dum primam Monstri furiam sustinere

Graviore impetu retorquent ictus,

Agunt in fugam fractam Odrysi Lunam

Vel ipsos jam cœlos expugnaturi Invisi Gigantes,

Per tot discrimina rerum semper lupremi, (exitio.

Nunquã magis *GLORIÆ CULMEN* meritori quàm hostis

Ad plura ventum in quæ brevis penna fugit excurrere

Suo tempore loquetur Posteritati gloriosa fama.

*BELGRADUM* superest arduæ Virtutis præmium

Supràma ad Ottomanicam Portam Janua,

Hoc victo vicistis gloriosi Athlantes, coronidem.

Macte animo: gloria calcar habet

Et hìc vestræ gloriæ Arena,

Iustus vobis vincere quod Amuret & Meemet repulsi tenta

Solimanus olim ingenti industriâ utriusque partis (vère

Fulo sanguine, superavit.

Vos non vestro sed obessorum cruore demùm vindicastis

Bosorum *LEO* urgebat rugitu ad Gloriæ areolam

Tantò magis quod paucorum Insignis animi Ducum

Lapsu stetit Victoriâ.

Suo eam quoque cruore Signabat pretiosiore.

Dum sanguinem per vultum spargit, non hostis, sed pudor.

Quo

Quo Maximilianus Maximi nomen adeptus,  
Grandia enim illa Majorum Tuorum facinora  
Et heroica pro Domo Austriaca Antecessorum Prælia  
Te inflammabant.

Hæc Themistoclem Boici Miltiadis Trophæa stimulant

Ut antenatorum facinorum æmulator existeres,

Boicus LEO est qui primis ab unguiculis ungues exerit,

Ipsaque rubens in aurora venturos denotat imbres, sanguinis.

Quid mirum Oresti Pillades adstat individuus

(Virtute & Zelo pares)

Patriæ Pater Carolus, Fausti semper nominis V.

Seremissimus Lotharingæ Dux,

Quidquid aureæ felicitatis in nostra deliquatum solatia

Ex hac ferrea Belli tempestate promovit.

In cujus Herculeos humeros Invictissimus Romani Imperij

Universam Belli Molé succollendam transfudit. (Atlas

Dùm hæc in Pannonia agerentur,

Pridiè alterum in Bosnia comittitur Prælium.

Felici hæud dubio omine, Badensi Hectore Duce,

Cujus gloria Immortalis, in morte versata sæpiùs

Ut superato discrimine splenderet serenius.

Cave casum, molitis grandia, nec Hercules contra duos.

Exiguo agmine, immensam aggredi Hostium catervam

Temeritatis non fortitudinis est.

Nunquid sufficit unus quinque?

Quinimò Briareos centimanos credere docuit

Quando tribus quindecim millia adeò feliciter cœcidit,

Ut omnes fatum experti, pauci suorum.



J nunc palmam porige fracte hostis Victricæ manui.  
Spes pacis tibi nulla super est, quam supplex obrudis  
Inconsulte mulcetur anguis, donec caput omnino obteras  
Semper minatur.

Ad Caucaſum tibi montem, ad ſciriæ cunas redeundum  
Unde pullulaſti à tot ſæculis flagellum Chriſtiadum.

Vireſcat nunc in Aurea ſæcula Auſtriaca laurea  
Quam caſu ſuo rigarunt Duces fortiſſimi  
Qui ceciderunt ut ſtaret Auſtria,  
Sic jacuiſſe omni ſtatua ſublimius eſt,  
In veſtris frondibus & peſtoribus

Signa gloriæ impreſſit plumbum, incidit calybs;  
An vivendo mori, an moriendo vivere ſit honeſtius  
Utrâmquè vobis juxta ſententiam eſt.

*Sic mori eſt vitam morte menari,  
Semper de morte triumphat heros*

Qui interruptione vitæ, vitam continuat.

Hoc Exemplum debèbatiſ poſteris, illi vitam vobis.  
Supremi Jovis Aquila, nunc præſaga eſt Auſtriacæ felicitatiſ

Dum atrinque una ſub corona ſolem aſpiciet  
Sub cuius umbra quidquid Auſtriacum eſt, perennet.  
Secura jam remiges ad blandos ſyrenum concentus

**INCLYTA CARNIOLIA**

De Naupotto per ſavi ripas ad Iſtri torrentem.  
Cum **JASONE** tuo quæſitura aureum beatitatis velus

A ut in Hungariæ ſolo, aut Boſniæ ſinibus

Ubi incuba Thraciæ Hydra toxicum ſpirabat  
Tibi tuisque Nauticis mortem minans, ipla interiit.

*Aemone vindicabis priscum nomen*  
Quando sub JASONE tuo, qui hanc tibi securitatē condidit.  
Benè, beatèque vixeris.

Nil Galli insultus huic tuæ derogant tranquillitati

Qui, dum turbat Aquilæ Imperium

In fimo suo naufragabitur,

Hoc summus Deorum in supræmo tribunali

Decretum tulit:

Gallus pœnas & pennas dedit.

Quid ni?

Alta ruunt, inflasta crepant, tumefacta labuntur:

LEOPOLDUS

Per stratam Lilijs & plumis viam

Ad perennis gloriæ & honoris Triumphum

Scandet.

Nolo hic Cœlum Oraculis fatigare.

Habet jam Orbis Utriusque solis purpura Illustres

JOSEPHUM & CAROLUM

Austriacarum Ditionum tranquillitatis vindices

Orientis olim & Occidentis præfuturos Imperijs,

Quibus polis innixa indefinente felicitate perennans

A. E. I. O. V.

Vota sVsClplat DeVs IMperII,  
AVstrlæ, & popVLI sVI.





SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

JOSEPHO I.  
NEO-REGI HUNGARIÆ  
ARCHIDUCI AUSTRIÆ.

SERENISSIME REX.



*Idi Orientem dum nascebaris Illustrem & Serenum, Orienti hinc TE natum hæud vanè augurabar, dum sensim Ottomanica Luna caligines que propedièm Universum Pannonia Solum inumbrabant, recessum meditabantur, donec tandem ad CULMEN Sereni Hungarici Cæli eluctatus sit SOL Austriacus (quem TE modo venerabundus conspicit Christianus Orbis Rex Serenissime) ubi omnibus propè umbrarum caliginibus dissipatis serenus modo irradiat; calore cujus animatus ego à Memnonis edoctus*  
elingus-

elinguis statuis, quæ ad Orientem SOLEM vocales redde-  
 bantur, & harmonico concentu velut obsequioso nutu gemmeum  
 illud sydus venerabantur: TE quoque Serenissime REX hoc hu-  
 millimo obsequiorum meorum censu ab Oriente reducem novo  
 fulgore Hungarica Purpura, Regioq; micantem Diademate  
 mihi venerari liceat. CULMEN GLORIÆ est AU-  
 STRIACÆ FELICITATIS PROPRIUM, quod  
 sub TUIS Auspiciis Laconico stylo adumbravi, Paternas  
 MAGNI LEOPOLDI Martis virtutes TE jam gen-  
 to in Hungarico TUO Cælo felicissimè gestas, exhibens, per  
 quas tanquam per zodiaci signa in tam altum GLORIÆ  
 CULMEN gressus es.

Solstitium Tibi Serenissime REX una exultantis Patriæ  
 TUÆ votis precari superest, ut TU quoque proprijs virtuti-  
 bus, quas in impubere Tua ætate ruminas, aut Bello, aut Pa-  
 ce Magnum Genitorem amulari possis, ut DUPLO SOLE  
 cimmeria noctes obnubilati hæctenus Magni Cæli tui tantò lon-  
 ginquius deturbentur, fugentur caligines, nebula dissipentur,  
 Principum tenebrarum ausus reprimantur, quo sistema demum  
 SOLII TUI in majus CULMEN AUSTRICÆ  
 FELICITATIS resplendeat, mihi que claritatis det, TUA  
 posthac virtutum specimina ( quæ supra naturam modò in TE  
 miramur, grandiaque orbi Christiano futura ominamur ) sub  
 Auspiciis Meridionalis SOLIS contexere, quando Umbrâ TUÆ  
 Austriaca simul aquila clementissimè mihi frui annues, sub qua  
 augustos favores contemplantor

## SERENISSIMÆ REGIÆ MAJESTATIS

*Æternum Humillimis*

Georgius Andreas Gladich.



**C**Edant victorum Palmæ  
Quosquondam celebravit Antiquitas  
Gloriosi Triumphorum ostentatores  
Quibus statuarum moles  
Romana olim posuit magnificentia  
subsidant,

**CULMEN hoc GLORIÆ AUSTRIACÆ FELICITATIS**

Miretur posteritas,  
Subticeant inanium laudum Præcones;  
Huc lauros, huc Palmas,  
Huc quidquid gemmarum parturit Oriens  
Quidquid auri meridies,  
Quidquid suo marmorum Occidens sinu fovet,

Et quidquid demum  
Artificum doctior erudit septentrio  
Huc coge fama  
Ut dignum Triumphatori

**LEOPOLDO**

Trophæum apparetur.

Huc demum studia vestra Academici

Huc Encomiorum scriptores

Quidquid laudis & gloriæ dici potest

Nunc ineffusas jubili voces

Erumpite

Scribite Stylo aureo

*Redijt Sol oriens Austriacus*

*Spes Populi Christiani*

**MAGNILEOPOLDI**

Et

**AUGUSTÆ ELEONORÆ IMPERATRICIS NEOBURGÆ**

Augusta soboles  
Coronato vertice  
JOSEPHUS

Hungarico videlicet redimitus Diademate  
Quod CONSILIUM quod INDUSTRIA

Meruit Magni Genitoris

Dum per strata hostium cadavera

Gradus ad solium

Suæ gloriolæ Posteritati præparavit,

Quod nunquam firmius,

Quàm adversæ partis ruina, solidatur.

Qui ea in Pannonico solo egit Martis prodigia

Quæ si de suis Alexandris & Scipionibus

Falces assererent

Somnia narrari crederes,

Hoc industriæ ejus manus

Probat prodigiola felicitas,

Quæ totidem propè victorias

Quot vitæ annos possit recensere

Cæsarise est annos, sic numerare suos,

Nunquid ad Zerinvár, ad Levam, ad Nitriam,

Ad S. Gotthardum, ad Parkany, ad Pesthum

Ad Vaciam, ad Vice gradum, ad Quinque Eccefas,

Iple semper suorum facinorum

Extitit Oraculum?

De quo si plura, si majora quæris

Divinitatis plusquàm humanitatis

In homine postulas

Dum vel his solis quæ paucorum annorum

decurfu egerit,

Fortitudinis suæ

Æternæ collossos memoriæ fabricaverit.

*Magna fortes nomina decent.*

Unicam hanc lubeat pro reliquis consulere Metropolim

VIENNAM,

Quam

Dum

Dum totam Austriam  
Turcarum, Tartarorum, & Rebellium  
Fœda illuvies inundabat,  
Igne cremabat, rimabatur ferro,  
Tam inaudito formidabili Exercitus numero  
Strinxit, pressit Urbem  
Et vix non unâ

Totam Christiadûm Rempublicam  
Oppressit,

Quid tum egerit

LEOPOLDUS

Qui Patriæ inflicta vulnera

Se ferire videbantur?

- - - *Fortis ad ipsas*

*Casibus heros robor a sumit.*

Promptus adfuit Magni CONSILIJ Angelus

Dum ad arma convocavit

*Superos bonæ causæ Tutores*

Nunquam tutius pugnare ratus

Quam ubi Reges Deo militant

Et Deus Regibus:

Numinis etenim virtute fulta potentia

Stat inconcussa

Suâmq; beatitatem inter infestissimos quoque

Adversantis fortunæ incurtus

Tuetur,

Fregit ferociam Barbari afflicta virtus

Quam premi, non opprimi patitur Deus,

Fugavit Divina quadam virtute

Ab Urbe

è Patriæ limitibus

Depopulantem colluviem

Dum è Cesio monte

Coeli inquam, stipatam ferro

Armatâmq; Fœderatorum ad movit dextram

LEOPOLDUS

Cruz



CruX aurea  
Quæ in Hungarico Cœlo fulgebat  
Præſagiebat victoriam  
Cujus quondam ductu Constantinus Magnus  
De Maxentio, Maximo, & Licinio  
Triumphavit  
Cum ei pridie pugnæ  
In Maxentium depicta in aëre crux  
Aureo splendoris caractere  
victoriam prænuntiasset  
Cujus auspiciis uterque  
Et Constantinus, & LEOPOLDUS  
Novam Romam mundo dedit.  
Dignus cui accineret Claudianus  
*O nimium dilecte Deo cui militat æther,  
Et conjurati veniunt ad prælia venti,*  
Miram hic Lernææ hydræ spectasses tragediam  
Quam reptitis ictibus Hercules superare non valuit  
Uno (ut dicitur) ictu  
Vicit invictus Hercules  
LEOPOLDUS.  
Non pullulabant cervices amplius  
Cui trino reflecto capite  
Sexcenta si forent corpora  
Succubuissent.  
Tanta vis, tanta potentia  
Novi generis Herculeæ clavæ  
Crucis inquam vexili in sinum elati  
Quâ usus est LEOPOLDUS  
Hæc spem tam inauditæ victoriæ  
Christianis Ducibus spondet  
Quam nullis unquam elogiis  
Posteritas dignè celebrabit.  
Dic: adeò feliciter pugnat cui militat æther,  
Nec satis:  
Ad Strigonij & Vivarini te ducam rudera

Ipsam quem humis ibi,  
Quem muri haulere inimicum cruorem  
Examina,  
Expertus Austriaci Macedonis invictam dextram  
Vel ipse hostis invitus fatebitur.  
Quando spissa plumbea grandine  
Obsessorum concussit corda,  
Æris fulminibus  
Solo æquavit muros  
Stricto tandem ferro, teralem tulit sententiam  
Nulli parcens  
Nè, ut suæ quidem infelicitatis nuncius evaderet  
Omnes ad tartara misit  
Strenuus Bellonæ Prætor,  
Sic Ducis animus militum animos  
Animat & dextras  
Cujus ut vultum exhibeat  
Effingendus est per virtutis experimenta  
Ne in primordio tam ardui operis  
Delitescant;  
Gemino vultu spectabilis est generosus animus  
Vincere cupiens,  
Jani æmulatus biformem formam,  
Altero tempestates minatur & fulmina,  
Quibus ardua quæque, sibi que obstantia  
Aggrediatur & vincat:  
Altero serenum induit & risum  
Quo pericula excipit & vulnera.  
Nec satis:  
Regni caput Budensem attentius intuere Urbem,  
Ipsa quæ vidit, quæ tulit  
Posteritas attonita mirabitur:  
Novem diversis Regum potentiis  
Invicta restitit,  
Restitit quidem & LEOPOLDO, ast non restitit,  
Quia huic Martiali Oraculo

Adeo Elementorum etiam ipsa Numina  
 Parere assueverunt  
 Ut certanter ejus subibant imperia  
 hostem ipsum internationi datura.  
 Cuniculos parabat cum Saturno Mercurius,  
 Et è terra in aëra tulit vulcanus hostem,  
 In ipso aëre aërem negabat Jupiter  
 In unda salutem quærentes  
 Suffocabat Neptunus,  
 Hinc officiosum Martis negotium  
 Residuos sollicitè jugulare,  
 Quando per rimatos muros patebat aditus  
 Patet & hinc ad Ottomannicum Imperium  
 Janua.  
 Quam Deo sibi que  
 Per sesqui alterius sæculi decursum  
 Negabat fidem  
 Ipsa qua olim periura defecit  
 Secunda Septembris Die  
 Novo fidelitatis Sacramento  
 DEO & CÆSARI  
 Martis Jure, obsequia jurare compulsa.  
 Cujus gloriæ meritò subscribat Orbis:  
 Infelix Budam Ludovicus perdidit olim  
 Hæc armis cedit nunc, LEOPOLDE tuis.  
 Nam  
 Hæc cura magnæ Principem mentis decet  
 Stabilire Numen, si que sit fuso fides  
 Sangvine probanda, sangvine & vitam dare.  
 Nec satis:  
 Ipsam testor denuò Budensem Urbem  
 In cujus vix renatæ visceribus  
 Nova scintillavit rebellionis perfidia,  
 Cujus ingenium est quod calidis morbis  
 Celeritate indigent ut opprimantur  
 Aquila est scrutans solis

Hinc Lunæ emendicata Lux  
Non sufficit ei celanda secretiora.

Argentea Luna, aureos fatales radios  
In unius tenebrionis oculos vibravit

Quos qui sequuntur  
(Veluti fatui ignes)

Plerumque ad præcipitia conducunt.  
Ad eandem proinde malorum Iliadem

Nefandus Impostor coactus est  
Quam cruento Marte conceptæ spei  
Temerarius struxit.

- - - Lubricæ ò sortis vices!

Timete si quos scelere fortuna extulit

Virtutis hostis; hora quod dedit prior

Rapiet secunda: Gloriam quis quis suam

In scelere fundat discat exemplo suo

Cum sole natam gloriam, cum illo mori,

Nec fatis:

Signata fugitivorum sanguine via

Ad Campum Mochaz te viam ducat,

Ubi

Judicæ marte diù lis agitata fuit,

Strenuè etenim dilceptandum est

Ubi non unius, sed Regnorum causa vertitur.

An hostium numerus terruit hic Heroum animos?

Bona causa numerofo Exercitu

Fortior dimicare solet.

An ferocia Barbari?

Non ille semper victor est

Quem concitant furores.

Collegit mentem, seposuit metum,

Junxit sensus, junxit vires,

Nulla enim ibi spes victoriæ est,

Ubi pugnantium animi dissolvuntur

Cohærentium spes certa manet.

Triumphavit & hic invictus Scipio

Quando

Quando ferum inimicorum impetum  
 tantâ prudentiâ stitit,  
 Tantâ fortitudine retuffit  
 Tantâ constantiâ profligavit,  
 Ut omnes Barbarorum copias  
 Innumero papaverum numero recensitas  
 Fudit  
 Fugavitque cum longè paucioribus  
 Quorum multa millia cœcidit in arena,  
 Totum pari felicitate deleturus Exercitum  
 Nisi reliquis sua Mercurius talaria  
 In salutem concessisset.  
 Qui fugerunt victi  
 Non effugerunt vindicem nemesis ensem  
 Quem LEOPOLDUS vibravit:  
 Machinas omnes, nervum belli, tentoria Univerſa  
 Et quidquid demum in ſui Luxus  
 Et potentiæ augmentum deſerviit  
 Sibi in maximæ Victoriæ teſtimonium  
 Et inbravium perennis magnanimitatis  
 Glorioſus victor attribuit.  
 Ita duces ducit fortuna ad triumphos  
 Quos grandes auſus rapiunt in Martis arenam.  
**HOC CULMEN GLORIÆ eſt AUSTRIACÆ FELICITATIS**  
 Victorias & palmas metere  
 Vbi rivi  
 Vbi flumina hoſtilis cruoris profluunt,  
 Hoc eſt potentiæ ſuæ famam  
 Longè latèque diſpergere apud exteros,  
 Amoris meſſem copioſe colligere apud Domesticos,  
 Fera Barbarorum pectora implere metu,  
 Neceſſariis fœderibus ſtabilire imperia,  
 Æmulationis exarmare ferociam,  
 Religionis erigere fiduciam,  
 Improbitati indicere exilium,  
 Rebellionis caſtigare proterviam.

Semper in armis vitam agere Hæroem sapit,  
Semper vincere prodigium est  
In variante fortuna inconcussum p̄sistere  
Hoc humano majus est,  
In quem omnia forstella jecerit, nec tamen vulnus fecerit  
Divum genus censendum est;

Siccine  
**CULMEN GLORIÆ AUSTRIACÆ FELICITATIS**

Eminet  
Quando avita pietate ausit LEOPOLDUS dicere

Cæsares lege hac sumus  
Vt bella nostra militent Deo, ferant  
Tranquillitatem subditis, vicio improbo  
Enata luxu demetant, summâ sacra  
Jura æquitate sanciant - -

Huic quod miraris?  
**CULMINI AUSTRIACÆ GLORIÆ**

Ad genuerunt felicitatem  
Invictis Cæsaris Armis  
Magno Cæsari unicè dilecti  
**GALO-THRINUS, & SUB AURA LEVAMEN**

(*Hæc nomina nomen eorum dedit*)  
In quorum ingentibus magnorum Ducum animis  
Stupenda vim & Consiliorum suspicimus exempla  
Bellonæ Nepotibus,  
Quibus non unus hostis

Sed nec integer par est Exercitus  
Qui per tela, per enses, per plumbeos globorum imbres  
Ferreasque grandines,  
Per invia montium juga,  
Per profundas vallium paludes,  
Per muros & saxea Urbium munimenta,  
Per stratos cadaverum acervos,  
Suo ductu & ausu  
Ad lauros & palmas grassantur,  
Contra quos nihil

Aut natura  
 Aut ars tam munivit fortiter  
 Ut inaccessum eorum virtuti redderet;  
 Quibus nullum periculum,  
 Aut labor, aut dolor,  
 Etiam per inflictæ mille vulnere deseviens,  
 Nec mors ipsa quotidie ob oculos versans  
 Terrorem incutere potest.  
 An non per tot discrimina belli & turbines eluctari  
 Gigantei sit animi?  
 Sæpe ut exemplo excitet turmas  
 Primus in fronte, in acie Dux  
 Signare viam debet,  
 Qua per hostium agmina & confertos cuneos  
 Penetrent  
 Sæpe primus transilire vallum,  
 Et hostili in aggere signa figere,  
 Ad quæ prævolet inpugnantium virtus,  
 Hos inclytos Duces loquetur fama,  
 Prædicabunt fasti,  
 Incisa æri & marmoris monumenta  
 Ad magnanimæ virtutis emulationem  
 Commendabunt  
 Immortalis gloriæ Heroes  
 Quorum virtute id quod videmus  
**CULMEN GLORIÆ AUSTRIACÆ FELICITATIS**  
 Fundatum,  
 Nunc Augustissime Cæsarum  
 Plenus gloriæ & Claritatis,  
 Adoret te Christianus Orbis  
**MAGNUM LEOPOLDUM**  
 Prodigium sæculi,  
 Apostolici Regni vindicem  
 Veneretur Te Hungaria  
 Ubi tua virtute id tempestivè præstitisti  
 Quod plurium sæculorum conamina

Sparso jam oceanum æquante humano cruore  
Infectum tamen semper suo malo  
Reliquere negotium  
Ubi eam hiscè annis navasti operam  
Quam nec posteritas multis ævis  
In tam perfectum GLORIÆ CULMEN præstitisset,  
Ubi supersticiosum Machometanorum sydus  
Luna toties eclipsavit,  
Quoties cornuta ausa est comparere,  
Ubi hanc indensas caligines fugasti toties  
Quoties ad victoriosum Insigne  
In quo sol Justitiæ stygium vicit hostem  
Accurristi, aut appellâsti.  
Sola hæc Austriacorum laus est  
Ut Bellonæ Zelum,  
Marti pietatem,  
Religionem fortitudini  
Indissolubili noverint connubio vinculare.  
Quid mirum ergo  
Quod  
Quaqua Pannoniæ Regno incederet  
Seminaret victorias,  
Quidquid tangeret, effloresceret in laureas,  
Quidquid aggredereetur  
Ejus potentiæ cedere inaudiebatur,  
Quaqua signa gloriolæ Crucis ferebat  
Victoriarum referebat insignia,  
In Cruce enim Domini Austriacis,  
Cum Apostolo gloriari bonum est  
Quia verè Apostolici Regni Vindex audire meruit  
Dum Hungaricæ Crucis victor extitit,  
Pro qua quibus sedit ad Regni Clavum annis  
Pugnavit, vicit, Triumphavit.  
Hanc perpetuo foedere meritò junxit Austriacæ Aquilæ  
Crucem  
Quam, velut alterum Ganymedem



Tonantis Avis

In Sublimem Turræ montis apicem  
Stephanæam inquam Viennæ turræ

Securè intulit,  
Quam tanquam alter Atlas Mundi Machinam

Inqua Mundi Salvator Triumphavit,  
Per quam & LEOPOLDUS vicit,

Sustinet  
Vnde rejecit antipatica Christianæ felicitatis insignia.

Sta hic Sol Fidei  
Custodia Regum, confirmatio fidelium

Conservatio Mundi, decor Ecclesiæ  
Sta contra immanem Gabaon

Donec corruant Bizantinæ Turres,  
Austriacus Inviçtus Josue imperat:  
Non occumbat antequam hostis.

Et ecce

SOL stat Luna cadit, dum Josue pugnat & orat.

Stat  
In opprobrium hostium,

Stat  
In confirmationem Apostolici Regni,

Adhuc stat  
**IN CULMEN GLORIÆ AUSTRIACÆ FELICITATIS.**

Et in Augmentum Orthodoxæ fidei

Stabit,

Sed

Continete paulisper ferrum  
Satis jam bellatum est Magnanimi Bellonæ Proceres

Quod pugnavistis ultrò vicistis  
Vestri vigoris Exemplum approbat Orbis

Dum spontaneè jam  
Vel ad solam invictorum armorum ostentationem  
Vestrisque Nominis appellationem  
Hostiles Urbes Germanæ potentæ cedunt,

Barbaræ gentes

In vestra sese conijciunt vincula  
 Vos formidandos Hæroes  
 Adorat & reveretur Univerſum.  
 Quidquid minarum ſpirabat  
 Suspirat nunc Magni Cæſaris nutu  
 Pacem & concordiam  
 Pactis quibus voluerit, amplectendam.  
 Absterge proinde ( tuâ pace dixerim ) cruentum calybem  
 Potatum inimico ſanguine  
 Et in vomeres conſta Mars Auſtriace.  
 Quin excreſcant tandem ex ſabulo Laureæ  
 Et Pacis Olivæ  
 Sub Auſpiciis  
 Sereniſſimi Orientis ſolis Auſtriaci  
 JOSEPHI  
 Apoſtolico Mariani Regni, Neo-Rege  
 Cui nonâ in Decembre Die  
 Auguſto  
 Benignum arriſit Cælum  
 Purpuras & diademata depluens,  
 Medium inter utrumque teneræ ætatis numerum  
 Perbellè expreſſit fatum:  
 Regnorum quoque ſic ſeriem  
 Quibus ſago & togâ quondam clarus præerit  
 Hoc velut myſtico calculo ſuperi indicavêre.  
 SOLI huic jam jam in Hungaricum cælum orituro  
 Nocturni continuo delapſi imbres  
 Serenum parabant ſequens jubar.  
 Si tantæ Majæſtatis præſentiam fugitant in Aurora tempeſta tes  
 Quin non Martis furia in meridie perhoreſcent?  
*Diviſum enim Imperium, cum Fove Cæſar habet.*  
 Qui ut auguſtius olim naſceretur  
 Julius natalis Cæſaribus menſis  
 Eicunas aperuit  
 Cum quo publica Europæ ſalus nata videbatur

Quia in Augustum declinabat Julius  
 Sub quo tranquillus regebatur Orbis.  
 Auroram primò ad orientem conspexit  
 Vnde Augustissima sibi tempora  
 Diesque aureos possit auspicari,  
 Natus cum eam lumine  
 Se tenebrarum non esse filium vel nascendo probavit,  
 Sacer Divæ Annæ Dies eum Orbi dedit  
 Prodigium futurum Principum  
 Prodigio natum,  
 Vnde MARIA vitam  
 Inde Marianus Lucem videndam sumpsit,  
 Ut dignior Mariani Regni  
 Quasi Mariæ calculo Possessor existeret,  
 Dignus Ferdinandi Abavi sui, Abnepos,  
 Elogio,  
 Sponsi Mariani JOSEPHI nomen meruit,  
 Ut qui unus Virginitatis ejus testis  
 Et custos in terris erat,  
 Alter ut injuriarum ejus ultor  
 Et Propugnator Gloriæ fieret.  
 Sic erit, quia LEOPOLDI, & ELEONORÆ primitiæ est  
 Josephus  
 Vtroque Pio, utroque Justo  
 Magnæ Matris Cultore  
 Non potest non Genitus Genitorum per traducem  
 Pietatem hæreditare.  
 Qui viret in foliis venit hic à radicibus humor  
 Sic Patrum in natos abeunt cum semine mores.  
 Vterque Leonem præsefert nomine  
 Quin & Jovis Pullus Leo sit, necesse est,  
 Qui armatus jam in Lucem editur  
 Ut è vestigio impunè repentium in terra  
 Belluarum ausus coerceat,  
 Aquila Horizonti præerit

Legum & pacis custos  
Quæ Lunæ fatales influentes radios

Meditabitur  
Et imbellium volatiliū temerarios ausus  
Cohibebit.

Quam timere proinde sciant

Ne, unguis expertæ Aquilæ

Serò pœniteant Phryges,

Regios sic semper lacertos virtus & naturâ

Armare consuevit

Facile siquidem contemnitur, quæ non est armata Majestas:

Rosa ut se florum reginam testetur

Spinarum associavit satellitium,

Clava Hercules, Tridente Neptūnus,

Fulmine tuam Jupiter tuetur Majestatem.

Dum sic stat

**AUSTRIACÆ CULMEN GLORIÆ**

à terræ, à Cœlorum injuriis

Vnus Leo, una Aquila tuebitur.

Bonum omen proinde felix modò Pannonia

*Misericordia & veritas obviaverunt sibi,*

*Iustitia & Pax osculata sunt.*

*Exortum est tibi in tenebris lumen*

*Accede & Illuminaberis, & facies tua non confundetur.*

Post exantlatos labores

Uberior tibi seges gloriæ imminet

Dum Reget

**JOSEPHUS**

Quæ Divino quodammodo effato

In Davidis Regis figura

**JOSEPHO REGE**

Gloriaris

*Qui erat ruber & pulcher ad spectum*

*Decoraque facie*

*Surge & unge eum, ipse est enim.*

Divina

Divina Pagina Numinis instinctu  
 Jam olim præcepit.  
*Inveni David* (JOSEPHUM inquam) *servum meum*  
*Oleo sancto meo unxi eum,*  
*Manus enim mea auxiliabitur ei.*  
*Ponam Thronum ejus sicut dies Cæli.*  
*Seminie ejus dabo terram hanc, quod quasi pulvis terra*  
*Dilatabitur*  
*Ad occidentem, & orientem & septentrionem & meridiem*  
*Benedicentur in eo & in semine ejus cuncta tribus terra.*  
 Hos gratiarum Torrentes Austriacæ Pietati  
 Spondet Divinus favor  
 Cujus meritò quàm fortunatè floreat Imperia  
 Austria exemplum Orbi exhibet  
 Prima Rudolphi Religio in Serenissimos Posteros  
 Traducta  
 Et per conferta virtutum decora cumulata basis fuit  
 Gloriosæ potentia  
 Et catenatâ quatuor & amplius sæculorûm serie  
 Imperiale Diadema in Augustissimum  
 LEOPOLDI verticem,  
 Sceptrum in Dextram transtulit.  
 Pari pasu  
 AMORE ET TIMORE  
 (Duo firmissima regnorum, fulcra)  
 Inclytum Hungariæ Regnum moderabitur  
 JOSEPHUS  
 Non degener tantorum Avorum Nepos.  
 Sub quo si mavis etiam Josephi Ægyptiorum Pro-Regis  
 Fausta tempora numerabis,  
 Dilecti enim orbi sunt Austriaci  
 Quia candidi & rubicundi  
 Omne tulit punctum qui rubrum miscuit albo.  
 Non iisdem semper gradibus scanduntur solia,  
 Per semitam fusi inimici sanguinis

Scandisse sufficit  
Quam LEOPOLDI virtute  
JOSEPHUS  
Gressus est.

Via Lactea nunc promovebit inter sydera  
Beatum Imperium

Hæc demum aurea est regendi Regula

AMORE REGERE

Postquam ferro ab inimicis

Ad frugem subacta tellus.

IC eXaLtat nVMInIs nVtVs  
pletate & IVstItIa Dotatos



# GALLICINIUM

## IMPROBUM IMPROBATUM

S I V E

GERMANUS AD GERMANOS  
IN PRÆSENTEM GALLO-  
RUM PROTERUAM

AUSUSQUE TEMERARIOS

# SYNCERE JUSTUM

## SUUM EXPONIT DOLOREM

EN QUANTA AUDACIA GALLI!

*REX LEO* quadrupedum volucrum *Rex armiger Ales*

    Iste regit volucres dirigit ille feras,

Hos audax fastu vocat in certamina Gallus:

    Galle cave! magnis Regibus arma moves,

Nam licet effugias pennâ pernice *Leonem*

    Galle, unguis *Aquile* non tamen effugies,

*Odrysiæ* quamvis subeas duo cornua *Luna*

    Te *Solis* forti marte sequetur *Avis*.

Ni solem antevoles (tua quod tibi penna negabit)

    Rostro fies *Aquila*, *Galle Platonis* homo.

Si exaltatus fueris ut *Aquila*, & si inter sidera posu-  
eris nidum tuum, inde detraham te dicit

Dominus. *Abdias Proph. c. i.*

LAPIDEM QUEM REPRO-  
BAVERUNT ÆDIFICANTES HIC  
FACTUS EST IN CAPUT ANGULI, Plal. 117.



D Arma ad arma Populares

Hostis vester ante portas est,

Vicini paries ardere incipit, vestra res agitur

Horri-sona Bellonæ tuba, Clangore terrifico

Communis Patriæ jam, quassat latera,

Festinate:-- Patriæ auxilium negat,

Qui lentus adfert,

Erigite aures.

Gallus superbe cristam erigit

Alas vibrat, caudam expandit, calcaria acuit.

Cantillat,

Alijs terribiliter, suaviter alijs, perniciose omnibus,

Albæ Gallinæ filius gravidus est

Forfitan Basiliscum excludet

Qui halitu tabifico nos afflabit misseros.

Surgite tandem mortui, venite ad tribunal

Libertati vestræ dies dicitur.

Evigilate

Coronati, Purpurati, togati

Ad ultimum hoc Gallicinium

Lethale & fatale vobis, vestrisque omnibus,

Ubi est

Fortitudo tua Aquila, robur tuum Leo

Et vos

Teutonici Imperij Antistites

Ubi prudentia, perspicacia, & vigilantia vestra.

Proh Deum atque hominum fidem!

Dormitis, tacetis, quiescitis, secura vobis omnia:

Et tamen

Scopum hostis vestri inveterati perspicitis

Præludia Martis adspicitis,

Effecta armorum sentitis.



Quis veteris vestra occupat pectora  
Quænam Erinnyes vestra enervat Consilia?

Num vesana Invidia

Vel pernitiōsa discordia

Aut terror aliquis panicus

Aut vero auri sacra fames vos reddit profanos,

Forſam rem acu tetigi,

(Sed date veniam ingenuitati meæ)

Germania enim jam in sæculo vivit aureo

Auro namque vendit omnia

Dignitatem, libertatem, conscientiam

Auri imperio magis quam despotico Subiacet,

Et tamen auro caret ad miseriam usque

Auro vanitates care redimit exoticas

Ultramontanas & ultra Rhenanas maximè

Quo eodem iplo auro postea

Inescatur, excoriatur, enervatur, enecatur miserè.

Eheu nos miseros,

Ad incitas fere res nostras redegit superba vanitas

Ferè splendide miseri

Nuda tergora monstramus Gallis

Nos merito deridentibus

Ludibrio sumus exteris nationibus

Et tamen antiquatis istis novitatum modulis

Renovatisque modulorum antiquitatibus

Quibus nos ver suta divexat spoliaturque Gallia,

Morionū instar magis magisque delectamur

Nobisque miro modo placemus incauti.

O caram stoliditatem,

O stolidam caritatem

O versipelles rebúsque suis germanicè studentes Gallos

O incautos & res suas gallicè dilapidantes Germanos,

Olim non erat sic.

Hodie, Germanus eadem quæ olim Phryx notatur macula,

Olim, Galli ad auditum Germanorum nomen contremiscebant,

Hodie, Germani nomē Gallorū cum tremore adorare velle videntur

Olim, Germania Academia & Palæstra erat heroum

Hodie, Brabeuterium est vanissimorum capitum

Vertumnorum & nugatorum Theatrum

Exploratorum & subsannatorum receptaculum

Ita

Gallorum plena nunc sunt omnia

Eheu nos perditos

Quorum res redacta est,

Olim crescens sæculi malitia crescentem pariebat prudentiam

Hodie, crescens gallorum malitia, crescentem parit Germanorū levitatē

Olim, Germanorum fidelitas dominantibus exteris

Clypeus erat domesticas contra insidias

Nunc, Germana fidelitas in propria sævit viscera

Olim, in proverbium ibat Teutonica constantia

Nunc, Teutonum levitas ludibrio est

Ipsi levitati & inconstantia.

Olim

Orbis imitari conabatur gravitatem Teutonicam

Nunc

Teutones gaudent simiarum videri simia

Histrionum ludibria!

Quid Galli in Germania?

Illi ferè omnes

Linguae notitiam, morumque veneres se prætendunt quærere.

Peccandi licentiam intendunt carnisque veneres

Corruptellas inveniunt, occasiones arripiunt:

Quotus quælo popularium ex Gallia redux melior,

Verones eunt Placentini redeunt,

Josephi eunt Ablolones redeunt,

Cræsi eunt Iri redeunt,

Theophili eunt Alastores redeunt

Philosophi eunt Morosophi redeunt,

Et serò tandem

Pecuniam, Sanitatem, scientiam, modestiam,

Castitatem, Numinis reverentiam, integritatem

Perdita plorant omnia

Paucos excipe  
Quibus de meliore luto finxit præcordia Titan,  
Galli verò

Non ardorem mores nostros addiscendi  
Sed studia ære nostro ditescendi, afferunt,  
Non meliores nos, sed vaniores reddere satagunt,  
Aulis, exercitibus, officinis, Theatris,  
Specioso sese obtrudunt nomine  
Ut secreta nostra explorent

Simplicitatem nostram traducant  
Er argento probè emunctos varijs inquinant vanitatibus  
Reddântque voluptatibus effæminatissimos,  
Nil præferentes nisi lepores, elegantias, civilitatésque  
Sed latet anguis in herba,  
Philistæi post Te, Samson cave.

Si non vis falli, fugias consortia Galli,  
Ploranda est Patriæ cœcitas

Viperas & bufones in sinu nutrientis  
Videmus, ast ridemus, non lugemus  
Rimamur, miramur, non contristamur.

Honore & laude beamus argutiarum Archidectos  
Susplicimus gesticulationum puerilium magistrellos,  
Vanitatum Professores,

Pudicorum seductores, castarum corruptores  
Mille & mille artibus instructissimos

Ad propugnandam & colorandam artem meretriciam,  
Ita

Perversam simplicitatem nostram  
Vel simavis

Simplicem perversitatem nostram.  
Vitium salit virtutis specie

Excipe paucos, videbis,

Reliquos omnes deteriores fieri Gallorum consortio

Inscientibus nœvos suos affricant,  
Imprudentibus retia expandunt.

Nil tale cogitantes inquinant

Ita in obscuro serpit Gallicum contagium,

Ast:

Infine videbis cujus toni,

Medicina morum quod nobis videbatur antea

Mox in animæ videtur degenerare toxicum

Rerum adsunt testimonia

Quid ergo verbis opus est?

Sed surdis narratur fabula

Germani sumus

Id est; boni homunciones.

Vísne gallicè?

Simplicitate insignes, illustres imprudentia

Imitatores quidem venustatis Gallicæ

Sed ridiculi, & in felices,

Benè me Jupiter

Sumus quod volumus

Simus ergo quod nolumus,

Quod possumus nolumus, quod nolumus non possumus.

Sempèrne tales erimus?

ò noxam constantiam

Itanè

Semper nos reget opinio nunquam ratio

Semper maledictæ consuetudinis Tyrannidi manebimus mancipia

Semper nos naso adunco suspendent Phileutia?

Sed manum de tabula

Dicam quod res est

Nec politicè meherclè sapimus ampliùs

Nec Juridice, nec Theologicæ, nec Medicè,

Patria spernimus omnia

Reginem Patriam, leges Patrias, Disciplinam Patriam,

Mores Patrios, Escam Patriam, Dicetam Patriam,

Linguam patriam, vestes patrias,

Gallica suspicimus omnia,

Gravitatem postponimus levitati gallicæ, sinceritatem fūco.

Fortitudinem mollitiei, candorem fallacijs

Stolida nobis Teutonica videntur & insipida

Salsæ

Salsæ magis arrident nugæ ineptiæque Gallicæ.  
Dubitatis?

An non pretia statuimus rebus, non ex eo quod valent,  
Sed quod Gallicæ sunt.

Hoc placet quia gallicum est,  
Atque hoc satis est.

Verùm

Quid aliud si non hoc delirare est?

Ebrum cheu adoramus Baal gallicum.

Ex amne gallico bibimus immodicè.

Hinc morbo infecti plus quam gallico

Chirurgo tandem cedemus in vindictam.

Germanorum hoc loquor amore

Non Gallorum odio,

Quamvis

Gentem superbe gentes meliores despicientem,

Gentem libertati bonisque nostris inhiantem,

Gentem disidijs, ruinis, fraudibus, exteris gentes turbantem,

Gentem jura gentium toties violantem

Gentili more odisse

Vix peccatum judicabunt Politici,

Suadebunt Jurisperiti, Ignoscent Theologi.

Dubitatis?

Causam vesperarum secularum hic non repeto,  
Vesperas Bartholomæas non ad mentem revoco

Eufas olim Aquilæ plumas

Desolatas Imperij provincias,

Subactam multorum libertatem

Vix amplius doleo

Invenerunt olim multi quod quæ siverunt,

Ad nupera primò oculos convertite.

Sarmatia

Nonne callidæ mulieris Gallicæ avaritia

Obstetricantibus Gallicis factiosis emissarijs

Turbis quassata diffidijs convulsa ad sacum peramque reducta.

Jam fed serò

Patientiam suam execratur stolidam  
Gazophylacium spoliatum, exhaustum ærarium dolet,  
Et vindictam minatur

Sed ridiculè

Cum vix ossibus suis cohæreat  
Sine medula Sceleton, & Barbarorum recens ludibrium;  
Pannonia quid?

Fœtidum quod Gallus in lupara ovum posuit  
Exclusum scelestè ad ripas Danubij  
Horribiles produxit dracones  
Qui virulento intuitu, halitùque suo  
Totam hanc in lethalem conjecerunt rebellionis tabem.  
Et purulentam ei affricarunt perduellionis scabiem  
Unde grassari cernebamus mortis martisque rabiem,

Anglos nuper

Quid bello commisit atque Batauos  
Nonnè politica illa statistarum Diabolica  
Mel in ore, fel in corde  
Laudem in pactis, fraudem in factis  
Utrique parti offerens tectis callidisque consilijs:

Candiam

Orbis Christiani olim propugnaculum  
Quid perdidit nisi efferata discordia?  
Cum hoste Dei, Ecclesiæ, Imperij colludentium.

In propatulo est cordatis  
Quid facturus fuisset alter Dux Gallicus

Pen-ultimo Bello Hungarico

Si non latuisset alterum

Perniciosa Exercitui Christiano voluntas Regia.  
Quis Contra Genoveses armavit Martem Gallicum,  
Quem nuper per Neptuni Regnum expeditiv?

Alto silentio improvisos obruit

Urbem & incolas inaudita barbarie oppressit,

Ferro & igne devastavit cuncta,

Gazas oppulentissimorum Civium tubduxit,

Supplices ad devotionem cœgit,

Quid

Quid demum?  
Suzæ adhuc calamitatis Carnifices, Prædones, Sicarios  
Stipendiarios facere compulsi,  
Ipsi Cives, Gallia ipsa Tyrannidis hujus ignorat causam,  
Machiavellus eam prompte oggerit.

Utique  
Si violandum est Jus  
Regni causa violandum est.  
Scilicet

Non pietas hodiè regna firmat sed statûs ratio  
Cathedras ista defendat, hæc thronos protegat,  
Togatis illa, hæc sagatis decori est.  
Justum sit & pium quod utile

Speciosi inveniuntur prætextus & colores  
Quam diù hæc plumæque non de erunt:

Mustapha Ferraga  
Legatus Portæ Ottomanicæ  
Quæ vobis nuper inculcavit axiomata  
Christianissimi?

Quæ hodie Murocordatus?  
Eadem forsam quæ olim tenuit Franciscus Liliger  
Sed vah quanta cum jactura honoris & fortunæ

Turcæ contra Christianos fœderatus  
Turcâ a Christianis non melior habitus  
Publica Imperij lege damnatus

Christianæ Reipub. hostis declaratus  
Quando inviolabile Sacramentum  
Hostis cum hoste fidei contra fideles iniicit  
Omni peste deterior.

Cavete  
Ne & idem vobis obtigat si perfidi estis,  
Inter Christianos fidem perdidistis

Videte  
Ut Turcis eam fervetis  
Sed ut & illi vobis  
Nevè in fossam alijs factam ipsi incidatis

Sæpè in authorem scelera redeunt suum  
 Gentibus omnibus  
 Sanctissima semper fuit juramenti Religio  
 Jurata servare regium imò humanum est.  
 Cum igitur  
 Pacem Hispano tam Sanctè juratam violastis,  
 Sine ullo juris fundamento sola habendi libidine;  
 Lotharingæ Regulum  
 Tum quiete viventem, nihil tale cogitantem  
 In media pace spoliastis, exturbastis,  
 Jugo intolerabili populum onerastis  
 Et, ò dignum facinus!  
 Subditos fideliter Dominum defendentes  
 Tractavistis  
 Non hostium instar sed instar latronum & Rebellium  
 Vinculis eos punientes, furcâ ac fustibus  
 Ad metalla damnatos atque triremes  
 Quæ barbara unquam furia talem exercuit rabiem?  
 Ruptam novissime Imperij fidem  
 Novas colonias in Coloniz sinum Gallus infert  
 Cujus Purpura prætextum dedit Patriæ  
 Ad quam suum Germanum Purpuratum Patrem  
 Per fas & nefas evehere nititur.  
 Contra torrentem reluctantium membrorum caput statuere  
 Quis hic eligendi modus? quæ statuendi potestas?  
 An armis arbitrium tolere licet  
 Cuius & natura libertatem donavit?  
 Romanæ Apostolicæ sedis Authoritas  
 Benè Acta Coloniz probat, tuetur Imperium,  
 Universum Gallicam proterviam reprobat!  
 Turbare Imperium, violare Jura, de populari Urbes  
 Incinerari Castra, prædari oppida  
 Hæc ne sunt fœderis non violati specimina  
 Quod se servare contendit?  
 Pax Pax acclamatur undique, & non est Pax.  
 Mille & mille illatis hostilitatibus quis pacem dicet Imperio?

Non



Non omne quod splendet aurum est  
Fucatum habet religionis & Juris speciem eminendi libido  
Ambitiosus genius

Quod moderatione obtinere non potest

Violentia tentat,

Imperij pomum est

Quod in Invictissimi LEOPOLDI Refugiet manibus,

Quod festucam imò trabem ad cœcitatem usque

In Gallorum oculos inijcit,

Hoc extutere meta hostilium armorum est,

Sane

Violatum hinc jus gentium

Vindictam Dei hominumque implorat omnium.

Cœli

Quænam vobis restat reverentia.

Pyramis in Pontificis opprobrium erecta loquitur,

Itanè illum quem Dei Vicarium dicitis tractari convenit?

Loquitur

Sacramenti conjugalis spurcissima violatio publica,

Datumque myriadibus animarum perniciosum scandalum,

Fastum fastuosa testantur Symbola,

Turca contentus Luna

Ipsi solem sibi appropriant

Soli cunctis lucere, soli præesse mundo cupiunt

Pluribus se non impares jactant

Cur non omnibus?

Nec cessare, nec errare se solis instar posse gloriantur,

Sed quid

Si Josua aliquis hunc solem sisteret?

Quid si luna eum deformaret in conjunctione ecliptica.

Jovis & aliorum Deorum tituli

Superbis olim adscripti imperantibus

Certa instantis exitij erant indicia.

Cogitate hæc Galli

Exhorrelcite, detestamini, convertimini :

Sed surdo narratur fabula

Sit ita  
Quod vultis videri, fitis  
Res hic nostra non agitur.  
Nos  
Patriam nostram salvam esse optamus  
Vos autem  
Libertati bonisque nostris insidias struentes  
Vos  
Vicinos invidos, confœderatos infidos,  
Amicos perfidos, fratres degeneres,  
Tranquillitatis publicæ perturbatores,  
Imperatoris Majestatis infidiatores,  
Austriacæ felicitatis osores,  
Germanæ fidelitatis corruptores,  
Justo persequimur odio  
Et indignos Germano nomine  
Indignos communis Patriæ tutamine  
Judicamus omnes  
Qui hæc vestra norunt facinora & comprobant.  
Exurge Deus  
Deus juste, Deus ultor, Deus Zelotes,  
Sceptraque tua ferrea  
Ferreis monstra pectoribus, monstrosisque Cyclopedibus,  
Sacratissimam Imperatoris nostri Majestatem  
Contra tot horrenda hostium conamina  
Juste & fortiter asseruisti hætenus,  
Protege & imposterum Unctum Tuum Domine.  
Exurge Princeps  
Ut æquissimè ita potentissime  
Et tot tantasque injurias Domui Tuxæ illatas  
Juste & fortiter vindica  
Imperium Cœlitus tibi concreditum  
Provincias naturâ tibi subditas  
Animosè contra expilatores defende,  
Jova protector tuus est  
Venenata & truculenta Rebellium consilia

Tua

Tua  
**Heros** Potentissime Sancta Innocentia  
 Enervavit & enervabit in posterum  
 Hostium Inveteratorum  
 Augustissimæ stirpis Habsburgensis  
 Turcæ & Galli  
 Publica secretaque in omnia  
 Tua  
**LEOPOLDE** Augustissime, Inclyte  
 Enervat pietas, fortitudo, prudentia,  
**LEOPOLDUS**  
 Hinc  
 Pello duos  
 Omen in nomine  
 Cui robur addat altissimus,  
 Exurgite Exurgite  
 Germaniæ Antistites, Septemviri potentes  
 Pro quorum uno hæc tempestates exortæ  
 In cuius perturbatoris caput imminent pericula  
 Non secus ut vidistis in Thraciam conspirasse.  
 Exurgite  
 Duces validissimi, satrapæ fortissimi Civitates opulentissimæ,  
 Ponderate,  
 Sed sine præjudicijs  
 Præterita, præsentia, futura,  
 omnia ferè  
 Flebilia, periculosa, horribilia,  
 Perpendite  
 Non fortitudine Gallorum ac prudentia  
 Sed nostra nos perire avaritia ac discordiâ,  
 Cogitate  
 Tela prævisa minus nocere  
 Pecuniam rerum gerendarum, nervum esse  
 Sine hoc nervo elumbem fore omnem Gallorum astutiam,  
 Trutinare  
 Sed ut Germanos decet

Richeliana, Sulliana, Mazeriniana, Colbertina,  
Auberiana, Balzaciana, Bonairiana, Vidamiana,

Aliorum publici Juris facta Consilia

Exploratorum in Aulis vestris residentium

Varijs machinationibus vobis insidiantium.

Observate verba, actiones, intentiones

Indubitatum vobis esto principium

Pace carituram & quiete Germaniam

Quandiu Gallus & Turca Florebunt.

Originis vestrae

Dignitatis vestrae, Libertatis vestrae

Memores estote.

Cæsar

Regum & Leonum Imperator audit

Gallus

Servorum & Asinorum

In servitute gloriam

In absoluta potestate Dominantis, libertatem ponentium

Dicite

Utrum fortibus ac cordatis viris decor sit

Veneris mancipij mancipia fieri.

Utrum

Aquilæ Regiè, an Gallo Asinine pasere.

ò populares

Revocate antiquam concordiam, miseremini miseræ publicæ

Miseremini mox agonizantis Patriæ, miseremini conscientiarum vestrarum

Miseremini libertatis vestrae.

Salus Populi, securitas Imperij

Suprema lex esto

Maledictus sit quisquis opus Domini, Imperij negligenter facit,

Qui privatum commodum bono populi sibi commissi per avaritiam præferit

Anathema esto.

Qui privato inductus odio vicinum oppressum deserit

Hostis que hoc modo auget potentiam

Anathema esto.

Qui litem ex lite trahens varijs dubijs

Et perpetuis deliberandis concordiam statuum rumpit  
Anathema esto.

Qui summo capiti in iustis & æquis parere obstinate reculat,  
Anathema esto.

Qui aureum statistarum vitulum postposito Deo & Republica  
Irreligiosè adorare pergit  
Anathema esto.

Qui tranquillitatis Christianos  
Inter conservandæ gratia icta  
Fœdera rumpere satagit  
Anathema esto.

Breviter

Qui ita Deo placere studet ut non offendat Diabolum  
Anathema esto.

Hiscè valete Populares

Et si veri Germani estis

Applaudite

Sicquè

QVIsqVIs In AVstrIaCos, genVIno fertVr  
LVDat In IIs. (aMore

Quæ

Pro Austriacæ Aquilæ tranquillitate

Augurabundus præcinebat

Genius Austriophili Gladiati.

*Georgius Andreas Gladiich*

FUNEBRIS NÆNIA,

SIVE

CASTRUM DOLORIS

QUOD LUGENS ECCLESIA DE SE  
OPTIME MERENTI

INNOCENTIO XI.

Pont. Opt. Max.

IN SIGNUM ÆTERNÆ DEVO-  
TIONIS CONSTRUXIT.

DUM FUNEBRIA PRO IN-  
NOCENTISS.<sup>ma</sup> ANIMA, VOTA

In Cathedrali Ecclesia Labacensi

UT TRIBUTA DEVINCTI  
ANIMI SOLUEBANTUR

à GEORGIO ANDREA GLADICH, Can. Lab. SS. Th.  
& J. V. C. positum.

XXVI. Augusti Anno M. DC. LXXXIX.

*Quia in lætitia egrediemini & in Pace deducemini,  
montes & colles cantabunt coram vobis laudem, &  
omnia ligna regionis plaudent manu. Esai. 51.*



Ovid., 2. Pont.



Udiat cuius interest Orbis Christianus  
Audite vos gentes, audite Populi,  
Lacrymis ora sinúsque rigate.  
Lugeat Roma terrarum Domina, gentiúmque Princeps,  
Undáque turgentes impellant lumina guttas.  
Ecclesia tota quàm longè latéque patet  
Deffleat **INNOCENTIUM XI.** Pontif. Max.  
Orbis, **ODESCALCUM** Virtutibus sæculi Principem  
Immortalis nominis Heroem,  
Qui post strenuè exantlatos labores  
Cælo & terrâ dignus,  
Immortalibus onustus meritis  
Mortales tandem ærumnosi corporis exuit exuvias.  
Qui postquam ex fago ad purpuram evectus  
Ecclesiæ tandem fastigium meruit,  
Ut velut alter Samuel militantem Triumphare doceret.  
Hoc, quo ad Clavum sedit, egregio præstitit exemplo  
Non curans curas, vigiliis, nec labores,  
Sub tanti enim nominis umbra negatur quies,  
Quia perrumpunt facile ouilia lupi, dum pastor dormit,  
Averruncavit è vinca Domini spurios furculos  
Hortum plantavit immunem Zizanijs.  
Oves ab hædis segregans  
Ne quid in ovili lateret noxij, se absente nociturum  
Raræ providentiæ Magister.  
Pernitiosa dogmata Strenuè exterminavit,  
Immunitatis & disciplinæ Ecclesiasticæ restaurator eximius,  
Utriusque assertor Inviectus.  
**Liber in tradenda veritate, constans in tuenda Justitia,**

Impavidus in afferenda S. Sedis auctoritate,  
Infractus curis, ardentissimus Zelator honoris Divini,  
Ubi maximum præstitit in hoc turbine felicitatis suffragium  
Quod à prudentia manavit & virtutum apparatus.  
Orphanarum asylum, pauperum refugium, afflictorum solatium,  
Visceribus Charitatis, misericordiæ, & liberalitatis præditus,  
Non tondens sibi commissum, sed pascens gregem,  
Non quærens quæ sua sunt, sed quæ Dei.

Hoc proinde mortali DOLORIS CASTRO parentant universi,  
Tanto Pontifici re ac nomine INNOCENTIO  
Uni publici commodi ( si quis alius ) Studioso,  
Privati incurio.

Afflictæ religionis Præsidio, Labentis fidei Atlanti,  
Pietatis & æquitatis exemplo rarissimo,  
Propagatori Orthodoxæ fidei Studiosissimo.

Missis colonijs Prædicatorum doctrinæ Apostolicæ  
In extremas usque orientis & occidentis plagas  
Infulasque hætenùs mortalibus incognitas.

Reipublicæ Christianæ magno Defensori,  
Non modo innumeris aureorum millibus magnificè profusis;  
Sed assiduis ad Deum obsequijs, precibus, lacrymisque,  
Et exhortatione jugi ad Orbis Proceres,  
Ut fœdera Socient, in infideles bellum concitent.

INNOCENTIO inquam ALTERI Exercituum ANGELO  
Pijssimum LEOPOLDUM Germaniæ Imperatorem  
Serenissimum Sarmaciæ Europææ Regem,  
Felicissimum MAXIMILIANUM Boiorum Principem,  
Fortissimum Lotharingæ Ducem,  
Totùmque Christianum Exercitum  
è Specula S. Petri ducenti & dirigenti.  
Victori tandem Gloriosissimo

Cujus provida virtute in Scithiam fugata Orientalis superstitione.  
Adco, ut tranquillam jam videbatur orbis cepisse quietem.  
Hæc ergo pro merito sibi trophæa apponi meruit  
Quæ ab utroque hoste mira luctandi arte reportavit

I N N O C E N T I U S :



DUX simul & VICTOR

Pastor, Patriæ Pater

Non humano sed Divino olim consilio

Ad has temporum vicissitudines moderandas vocatus.

Quas nisi sua prudentia & virtute sustinisset

Propè corruisset sua mole Orbis,

Ubi inculpata vitæ Theatro exhibuit Sanctas Justitiæ leges,

Constantiæ spectacula, benignitatis documenta,

Liberalitatis rara specimina,

Temperantiæ instituta, Religionis Zelum,

Virtutum denique omnium exempla,

Harum quas prædicavit, vixit observator legum;

Quarum vim geminat legislator cum suâ eas observantiâ veneratur;

Tunc observantior æqui

Fit populus, nec ferre neget, cum viderit ipsum

Centorem parere sibi

Quibus id universim effecit ut unus Theatrum evaderet,

In quo lusere omnium affectus, occupavere Austriæ desideria,

Exercuere summorum æque ac infimorum vota,

Regum quoque Cæsarumque æstimatio

Spectatorem pariter egit, & laudatorem.

Tragico demum spectaculo clausit lux vitæ Epilogum

Ingenti prorlus, proh dolor! Ecclesiæ luctu.

Hoc unum Orbi relinquens memorandum

INSATIABLEM vixisse BELLUAM

Dum Orbis amplitudinem angustam sibi putavit

Innatæ virtutis Studio,

Donec satiata (ut dictum) meritis

Exiguo clauderetur monumento.

Hæc fit Synopsis vitæ,

Quam Luget Orbis

VIXIT CVPIDVS gLoriæ sVperVM.

D. O. M.  
MEMORIA IMMORTALIS.

FAbulam quisquis dixerit humanam vitam,  
Aptè dixit:

Lusit in hoc Mundi Theatro

SERENISSIMUS CAROLUS

In Scena exhibens *LOTHARINGIÆ DUCEM,*

*Cæsarei Exercitus Locumtenentis Generalis;*

Cujus,

Aut si Personæ requiris Majestatem, aut Virium fortitudinem,

Aut raræ prudentiæ, consiliorumque maturitatem,

Aut animi innocentiam, aut morum integritatem,

Aut Natalium Celsitudinem.

Aut denique avitæ virtutis prærogativam,

Reperies in Singulis

Dignum suo officio, *Comicum.*

*Æmulum Scipionis,*

*Augusto parem, non Imparem Alexandro*

*Feliciorem Annibale.*

Cujus gloriosorum facinorum Seriem,

Non capit hæc chartæ angustia.

*Inviæti Animi Herculem*

*Deprædicabunt olim Historiarum fasti:*

*Encomia quæ virtus meruit*

*Suo loco dabunt.*

Qui post exantlatos pro Deo & Cæsare labores

Ob liberatam in Austria Viennam,

Ob Austriæ perpetuò vindicatam Pannoniam,

Pannoniæ libertatem:

Libertati fidem,

Fidei Meritum:

Ob indè depulsam Ottomannicam feritatem,  
Rebellantium aversum furorem, redeuntium repulsum,  
Ob extinctam superstitionis religionis pravitatem,  
Et plantata veræ fidei Germina,  
Latèque diffusa in barbaras Regiones Catholica Dogmata:  
Hinc DEO, illinc CÆSARI  
Inviolabilem testatus est fidem.  
Cujus Virtus:

Ne vel oblivione, vel reticentia Sepulta sit:

**HOC IMMORTALIS GLORIÆ MONUMENTO**

Gratus AUSTRIACORUM animus, cavit.

Et æternâ memoriâ, æternitati transcribit.

Qui si hujus vitæ finivit fabulam

Meliorē nactus est Conditionem

Nam ipso Marti Sacrato Die

Ad superos evolavit.

Quasi

Post debellata in terris fatalia Sidera

Ipsis etiam coelis sit Martem moturus:

Verè Martius, & post fata Martialis,

Ab Avito Patriæ Nomine,

Nomen adeptus.

Ast non pugnaturus ense, sed prece

Videlicet pro AUSTRIACA felicitate

Apud Superos

**ORATOR.**

Cui pro accepto Austriacorum Patrocinio

Illustrium Poetarum Numeris centonē

Canebat Elegiacum

**GEORGIUS ANDREAS GLADICH Cathedralis  
Labacensis Eccl. Can.<sup>us</sup>**

- Manilius lib. 1. Astron.* Aurati Princeps - - in vellere fulgens,  
*Ovid. lib. 1. Trist.* Agminibus Comitum, qui modo cinctus erat:
- Juvenalis Satyr. 14.* Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis,  
 Cui fuit ex omni parte probata fides:
- Joan. Jovianus Pontanus.*  
*Silius Italicus lib. 9. de Bello Pun.* Apera lemper amans, & par cuicunque periclo  
*Ovid. lib. 4. de Ponto.* Crescit, & immensum gloria calcar habet.
- Ovid. lib. 5. Trist.* Scilicet adversis probitas exercitare rebus  
*Vitus Vespas. Stroz. a.* Herculis, haud illi gloria parva fuit.
- Joan. Franc. Picus Mirand. de Myst. Dom. Crucis.*  
*P. Franc. de Macedo Eleg. 4. ad princ. Leodegastus à Quercu*  
*Thomas Morus.* Dum CAROLUS bello jam Parthenopæa subiret,  
 Languidulum inclinat morte premente caput.  
 Florens ingenio, forma, virtute, juventa,  
 Illicò marcescens, ut rosa verna cadit.
- Mapheus Vegius Æneid. Virg. lib. 3.*  
*Petronius in Statyr.* Heu mortem invisam, quæ sola ultricibus armis  
 Ætatis nostræ gaudia prima rapis!
- Tibullus lib. 1. Eleg. 4.*  
*Joan. Jordanus ex Epig. Grac.* Quam cito purpureos deperdit terra colores!  
 Ætatis florem surripit una dies!
- Propertius lib. 3. Eleg.*  
*Ovid. lib. 2. fastorum* Sed tamen hic omnes, hic primus & ultimus ordo:  
 Et memorem famam, qui bene gessit habet.
- Juvenalis Satyr. 10.* Has toties optata exegit gloria pœnas;  
*Propertius lib. 4. Eleg.* Non juvat ex facili lecta corona jugo.
- Silius Italicus lib. 6. Bel. Pun.*  
*Jovianus Pontanus.* Arripuit, traxitque Virum fax mentis honestæ,  
 Quæ Sacra pro Christi nomine bella gerit,
- Lucanus lib. 9. belli Civil.*  
*Michael Verinus.* Ille Deo plenus, tacita quæ mente gerebat,  
 Non horret mortis vulnera dira pati:
- Claud. de 6. Cons. Hon. Aug. in pras. Jod. de Backer de Duce Vejar.*  
*Virg. 3. Æneid.*  
*Ovid. lib. 3. de Arte.* En Princeps, en Orbis apex æquatus Olympo.  
 Stabit in Astrifero, ceu nova Stella polo.  
 Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat,  
 Hoc docet, hoc leges, jusque, pudorque jubent.

*Lucretius lib. 5. Epig.* O miseris hominum inentes, & pectora coeca.

*Martialis lib. 5. Epig.* Nulla Ducis virtus dulcior esse potest.

*P. Faustus Andrelinus.* O te felicem totus cui rideat aether!

*Cornelius Gallus.* O Miseri quorum gaudia crimen habet!

*Vitus Vespasianus Siro-za.* Te venerata ferox Germania, norat Iberus:

*Ovid. lib. 3. de Ponto.* Laudarunt omnes facta, piamque fidem.

*Franc. Bencius de 5. Martyr. lib. 6. ad finem.* Lamina & in Scriptum referent per laecula nomen,

*Colleg. Comimb. ad finem. franc. Mendoca ad finem.* Et quod fata negant mamora Sculpta dabunt.

*Virgilini Ecloga 5. & 1. aneid.* Semper honos noménque tuum, laudéiq; manebunt.

*Julius Casar Scaliger.* Nam Christo, quod non militat, omne perit.

**IN IS VIRTUOSI, & STRENUI DUCIS:  
PAX SEMPER AETERNITATIS GLORIA.**

